






STANFORD UNIVERSITY
LIBRARY



JOANNES LYDUS

IOANNIS LAVRENTII LYDI

LIBER DE OSTENTIS

ET

CALENDARIA GRAECA OMNIA

ITERVM EDIDIT

CVRTIVS WACHSMVTH

ACCEDVNT EPIMETRA DVO

DE COMETIS ET DE TERRAE MOTIBVS



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXXXVII

RP

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

RVDOLPHO · HERCHER

AMICO

S · P · D

ANNO · MDCCCLXIII

CVRTIVS · WACHSMVTH

PROLEGOMENA

IN

LYDI LIBRVM DE OSTENTIS

Inopinato mihi et invito anno h. s. LXIII accidit, ut Lydi de ostentis nugas edendas curarem. casu vero cum primum, dein consulto quaerendo in Italicis bibliothecis complures codices repperissem, ex quibus Lydianus liber et emendatius scribi et magna ex parte suppleri posset, Lessingio assentiendum esse tunc vidi, qui edendis Iulii Firmici supplementis ita praefetur (VIIII p. 425 ed. Lachmann.): „*Was die Welt einmal hat, muss sie so ganz als möglich, so ganz als es ihr vom Anfange bestimmt worden, haben. Was einmal zur Kenntniss der Welt gebracht worden, muss sie so genau, so zuverlässig wissen können, als möglich.*" Accesserunt interim nova aliquot subsidia ex codice quodam Matritensi et Parisino, quibus adhibitis paulo etiam magis in integrum auctoris verba restitui potuerunt, ita ut praeter haud ita magnas lacunas capitis 1 et 16 nunc fere omnia quae Laurentius Philadelphensis *περὶ διοσημειῶν* olim composuerat denuo collecta habeas.

Lydiani de ostentis libelli usque ad initium huius saeculi tres tantum editae erant reliquiae. primum Ianus Rutgersius in variarum lectionum libro tertio c. 16 p. 247—260 ceteris Nigidii Figuli fragmentis tonitruale etiam adnexuit, quod Nigidii esse dicit et totum Graeca interpretatione redditum exhibet Lydus cap. 27 usque ad 38. edidit autem hoc fragmentum Rutgersius, ut ait p. 289[1]), ex apographo Meursiano, quod ipsum

1) quod fugit Hasium, qui in commentario de Laurentio Lydo eiusque scriptis p. XXX dicit, Rutgersium neque in ipso opere neque in libro de vita sua unde ephemeridem eam sumpserit indicasse.

ex codice Palatino Heidelbergensi descriptum erat.[2]) Iste codex tum erat trecentesimus duodecimus inter Palatinos bibliothecae electoralis (vide catalogum codicum Graecorum illius a Sylburgio confectum in Miegii monum. piet. et liter. Francof. 1701 p. 92 sq.), nunc inter Palatinos bibliothecae Vaticanae asservatur eodem numero signatus (in mea editione littera *P* signatus). Dein fragmentum dissertationis Lydianae de terrae motibus (cap. 54 med. inde a verbis *ταῦτα μὲν ἄν τις κτλ.* — fin.) et totum Vicellii (?) seismologium (cap. 55—58) ex codice bibliothecae Angelicae, quae in coenobio S. Augustini *alla Sapienza* Romae est (in hac editione littera *A* notato), expressa sunt in calce libri Lydiani de mensibus a Nicolao Schow Lips. 1794 editi p. 130—134. Tertium calendarium Clodii Tusci (Lyd. c. 59—70) latine interpretatus est initio saeculi decimi sexti Nicolaus Leonicenus Thomaeus, professor Patavinus, cuius interpretatio sub titulo *Claudii Ptolemaei inerrantium stellarum significationes* saepe prodiit; namque et Ovidianorum fastorum editionibus priscis, primum (ut videtur: cf. Merkel, proleg. Ovid. fast. p. LXVII) Aldinae anni 1516 praemittebatur et ad calcem Iulii Firmici atque quadripartiti Ptolemaei latine versi Basil. 1533 p. 79—84 et in Petavii uranologio Lutet. Paris. 1630 p. 92—101 edita est. Videtur autem Leonicenus adhibuisse codicem Laurentianum *F*, quem ipse contuli et infra descripsi, vel ei simillimum.

Totum vero de ostentis librum anno 1823 Carolus Benedictus Hase ex codice Caseolino publicavit hac usus inscriptione: *Ioannis Laurentii Lydi de ostentis quae supersunt, una cum fragmento libri de mensibus eiusdem Lydi fragmentoque Manl. Boethii de diis et praesensionibus*

2) cf. Meursi not. in Leon. tactic. Lugd. Batav. 1612 p. 447. . . *Nigidii Figuli de tonitruum per singulos menses et dies significatione librum, quem Lydus e latina lingua in Graecam transtulit*, *extat ipsum opus in bibliotheca Palatina*, *ubi nos ante quinquennium descripsimus et edendum dedimus Iano Rutgersio.*

ex codd. Regiis edidit Graecaque supplevit et latine vertit Carolus Benedictus Hase. Parisiis MDCCCXXIII.

Iste codex Caseolinus (a me littera *C* significatus) inventus erat circa a. 1785 prope Constantinopolim Curucismae (is suburbanus est ad fretum pagus) in villa Constantini Slutzaris patricii viri, ubi Ioannes B. C. d'Annse de Villoison libros pertractabat aliquammultos partim cusos partim manuscriptos, superstites eos ex magna bibliotheca, quam Nicolaus Maurocordatus librorum rariorum et veterum admodum studiosus cum a. 1722 sultani nomine in Valachia regnaret e Graecorum monasteriis conquisiverat. hunc igitur Lydi codicem cum Villoiso legato Gallico ad portam Othomanam Gabrieli Augusto de Choiseul-Gouffier indicasset et ille significasset se in desiderio esse eius codicis, dono accepit eum paulo post a Constantino Bei Morusi principe Slutzari affini ipsique amicissimo. translatus autem post mortem legati in Regiam bibliothecam Parisinam (insignitus est in supplemento catal. cod. Graec. eius bibliothecae numero 257) codex ex possessore comite *de Caseolo* nomen Caseolini duxit. scriptus est nono saeculo vel decimo ineunte in membranaceis foliis minoribus quorum singulae paginae 31 versus continent. frequentissimi in eo sunt errores per itacismum procreati (confunduntur enim *ι* et *ει*; *ι* et *η*; *η* et *ει*; *β* et *υ*; *ε* et *αι*; *υ* et *οι*; *υ*, *οι* et *ι*, *ει*, *η*; *σ* et *ϑ*, et quae sunt similia); accentus et spiritus neglegentius sunt notati (a manu recenti saeculi XVI vel XVII postea additi); *νῦ ἐφελκυστικὸν* multis vocibus adnectitur etiam sequente littera consonanti: quae omnia in adnotatione enotare nolui.

Is igitur codex continuit olim tria Lydi opera, librum de mensibus, de ostentis, de magistratibus Romanis; sed cum iam in bibliotheca Slutzaris inventus sit initio et fine truncus, supersunt hodie dumtaxat folia 102, quorum 37 pertinent ad librum de ostentis. ex his 37 foliis 26 posteriora fuerunt consuta numerata adiuncta ad corpus codicis, 11 priora separata cum extra codicem tum inter se et adiecta in involucro quodam absque

numerali nota ulla. ea 11 folia disiecta secundum conspectum operis in capite quarto expositum ordinavit et disposuit Hasius. quo facto apparuit, post folium quartum (post verba *μέλανα μὲν ἢ ὑπόχλωρα φανέντα, ση* in capite nono p. 20, 10. 11) duo minimum folia intercidisse, atque pariter unum certe post folium sextum (post verba *Πέρσας τε* in capite decimo quinto p. 43, 7). ceteroquin nihil deesse praeter exordium libri[3]). accessit tamen gravius incommodum; decem priora folia misere sunt lacera madoreque vini et vetustate adeo affecta[4]), ut Villoisoni (proleg. ad Iliad. p. XLVI) in cella vinaria potius quam in bibliotheca codex asservatus esse videretur.

Incredibili autem diligentia Hasius ex eis descripsit quae legere potuit sententiamque quandam expiscatus verba restituit et ingentes lacunas spatii vacui exactissima ratione habita explevit. quamquam in codice Caseolino prorsus certa coniectura de evanidarum litterarum numero ex areola vacua duci nequit. namque litterarum numerus in singulis versibus differt plurimum, in plerisque tamen habentur quadragenae octonae aut quinquagenae, sed eae et cursivae fere sunt et saepe in fine versuum paulo pressiores et intermistis hic illic compendiis scribendi. eis siglis denique eadem ipsa vox nunc exaratur nunc suis litteris, ut vel in lacuna trium litterarum explenda (ut hoc utar) difficile saepe sit dictu, utrum ΚΑΙ legendum an, quod spatium non maius occupet, ϚЄΝ, hoc est *καὶ* (compendio scriptum) *ἐν* et sic centiens.[5])

In ea quoque re editorem mira pressit fati iniquitas, quod in priori et ea maxime lacera parte libri usque ad vicesimum caput nullo omnino alio codice subleva-

3) paucissimos tantum versus deesse credidit Hasius, potius unum folium intercidisse mihi veri videtur simile.

4) ceterum Klein, quaest. Nigid. p. 7 narrat, litterarum ductus nunc denuo apparere; quod quibus de partibus codicis dictum esse velit nescio.

5) quae de codice Caseolino narravi deprompsi ex Hasii commentario de Lydo LXXI sq. et praefatione edit. de ostent. p. V sq.

tus est. ad recensendam autem reliquam libelli partem quibus praeterea usus sit codicibus ipse narrat praefat. p. XII his verbis: „Institutio tonitrualis (c. 21—26) reperitur cum in codice Regio 2381 [*R* meae edit.] fol. 70 vers. tum in codice Veneto 324 [*V* meae edit.] (vide catal. bibl. Gr. Divi Marci, digest. praesid. Laur. Theupolo p. 149), qui per annos decem et sex penes nos in bibliotheca Regia identidem a me tractatus est, donec temporis flamma a. 1815 eum abripuit. Nigidii Figuli diarium tonitruale, quod proxime sequitur [cap. 27—38], editum iam extabat in Rutgersii variis lectionibus p. 247—260 mendose admodum, non ita tamen ut eius quoque comparatio cum codice nostro non usui mihi ad tollenda menda nonnulla nostri fuerit. tonitruale Fonteii [c. 39—41] diario Nigidii subiunctum habetur in codice Regio 2381 [*R*] fol. 70 vers. — 71 rect. Labeonis observatio de fulminibus [c. 42] extat item in cod. Reg. 2381 [*R*] fol. 71 rect.; alteraque commentatio eiusdem argumenti, quae continetur cap. 43—52, in Regio (nunc Veneto) 324 [*V*], quem memoravi. disquisitio de causis terrae motuum (cap. 53 et 54) cum item in cod. 2381 [*R*] fol. 70 rect. tum in Regio 1991 [*S*] fol. 1 rect., ita tamen ut is quem posterius nominavi, verbis plurimis immutatis aut praetermissis, epitomen potius quam fragmentum Lydi continere videatur. sequentia inde a capite 54 [i. e. c. 54 med. — 58] non solum in duobus quos dixi codicibus [*R* et *V*] extant, sed impressa quoque sunt in editione Schowiana opusculi de mensibus p. 130—134, vitiose admodum [vide supra p. VIII]. postremo calendarium vetus Romanum cum ortu occasuque stellarum latine iam cusum erat in Petavii Vranologio (p. 94—101) sub nomine Ptolemaei per Nicolaum Leonicum e Graeco translatum. quam Leonici versionem passim retractavi; Graecum textum nunc primum edidi ex codicibus tribus, nempe Caseolino, Reg. 2381 [*R*] fol. 74 rect. — 75 vers. et altero Regio 1991 [*S*] fol. 17 vers. — 24 vers.“

Accedunt quae Hasius in commentario de Lydo p. XLVI narravit: „quartum fragmentum libri de ostentis, de tonitribus generatim, aeque ineditum illud quidem, in codicibus inscriptum esse solet: *Ἰωάννου Λαυρεντίου Λυδοῦ Φιλαδελφέως, ἐπὶ τῆς βασιλείας ὄντος Ἰουστινιανοῦ τοῦ μεγάλου καὶ Ἀναστασίου, περὶ βροντῶν.* inc. *πολλῶν καὶ ὑπὲρ ἀριθμὸν ὄντων ὅσα τοῖς φυσικοῖς περὶ βροντῶν ἐδόκει* (i. e. exordium capitis 21), des. *ἀνὴρ δυνατὸς καὶ βαρὺς τοῖς πράγμασιν* (i. e. finis capitis 41). invenitur in codicibus duobus 1) in nostro Regio 2381 [*R*] fol. 70 vers.—71 rect., 2) in Veneto fol. 282 vers.—284 vers."

Duos igitur Parisinos *R* et *S* Hasius adhibuit, de quibus quae addam non habeo, nisi haec duo: In *R* fol. 70 vers.—71 rect. certa coniectura statuendum est non omnia capita 21—41 legi, id quod ex Hasii verbis facile quispiam effecerit, sed solum ea quae Palatinus (*P*) exhibet, i. e. cap. 21 et 22; 23—26 et 39—41. *S* vero puto fluxisse ex Laurentiano *F*; quae enim continere narratur, eadem habet *F*; in scripturis consentiunt et uterque explicit in calendarii 5. Dec. (quode v. infra p. XIX). Neque satis accurate Hasius rettulit de Veneto Marciano 324 [*V*]. est is saec. XIV et continet praeter fulguralem doctrinam capitum 43—52[6]), quam nescio quibus foliis legi Hasius p. XII testatur et allatis nonnullis scripturis comprobat, fol. 282 vers. — 288 vers. haec quae diligentius nuper enotavit Wünschius 'Byz. Zeitschr.' V p. 413: 1) fol. 282 vers. *Ἰωάννου Λαυρεντίου Λυδοῦ Φιλαδελφέως ἐπὶ τῶν βροντῶν,* inc. *πολλῶν καὶ ὑπὲρ ἀριθμὸν ὄντων* (i. e. c. 21—26); 2) fol. 284 vers. *ἐφήμερος βροντοσκοπία τοπικὴ πρὸς τὴν σελήνην κατὰ τὸν ῥωμαῖον φιγοῦλον ἐκ τοῦ τάγητος καθ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν* (i. e. Nigidii tonitruale c. 27—38); 3) fol. 287 vers. *Ἰω. Λαυρεντίου Φιλαδελφέως* (haec marg.) *περὶ σεισμῶν μετὰ τὸ τὰ ἐν τῷ ἑτέρῳ βιβλίῳ γεγραμμένα ἀναγεγνῶσθαι*

6) haec non commemoravit Wünschius l. s.; sed nisi forte vehementer falsus est Hasius, de re dubitare non licet.

καὶ ταῦτα; inc. *ταῦτα μὲν ἄν τις κτλ.* (= c. 54 med. usque ad finem et Vicellii (?) seismologium c. 55—58). vides igitur in his fere congruere Venetum cum Palatino *P* (quode v. infra), quocum etiam in adnotatione tertiae parti praemissa conspirat. ceterum et Hasius paucissimas tantum Veneti scripturas attulit et Wünschius negavit eum novi quidquam quod utile sit exhibere.

Interim Fridericus Osann ex codice Laurentiano plut. 58 n. 13 (i. e. *M*, quode statim accuratius disseram) descripserat Phurnuti quae ibi fertur de cometis disputatiunculam (cf. infra p. XVI adn. 11) Lydique libro per Hasium evolgato eam non Phurnuti sed Lydi esse cognovit et explere aliqua ex parte lacunam posteriorem, quade supra (p. X) dixi (cap. 15). eius frustula quaedam edidit in auctario lexic. Graec. et Roman. et, ut ipse in praefatione p. XVIII ait, nil prius, nil antiquius sibi haberi duxit, quam ut fragmentum illud de cometis editione principe auctius multo et integrius statim edendum curaret, quod supplementi instar editionem Hasianam tamquam comes perpetuus sequatur.[7]) et exierunt (ita enim narrat praefat. ad Cornutum p. XXVI; ego tamen numquam vidi) revera folia tria quattuorve impressa prelo; tamen editio quominus absolveretur singulari nescio quo fato prohibita fuit.

Edidit praeterea I. A. Cramerus (anecd. Oxon. III p. 403—408) ex codice Canonic. 41[a] [= *O*] excerpta quaedam ex Lydiano libro, quibus prior illa lacuna (in capite nono et decimo) suppletur, valde tamen decurtata ea et corrupta, vel testium Varronis Nigidii Apuleii nominibus omissis.[8])

7) cf. idem in ephem. litt. Hal. 1832 supplem. 100. p. 798 sq.; ad Pompon. de orig. iur. p. 94.

8) ceterum hic codex etiam aliarum partium Lydiani libri epitomen continet et prae se fert fol. 84 rect. eorum quae apud Lydum capite nono proximis exhibentur inscriptionem: *περὶ τῶν ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν διοσημείων καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν καθολικῶν ἀποτελεσμάτων* i. e. eandem atque cod. Laurentianus *L* (quode vide infra).

Utrumque Lydianum opus restaurandi subsidium fugit Immanuelem Bekker, qui anno 1837 tres Lydi libros de mensibus, de magistratibus, de ostentis edidit in corpore scriptorum historiae Byzantinae Bonnensi, sed ut de reliquis taceam in hoc certe opere recognoscendo nihil fere praestitit.

Ipse vero excussi codices Laurentianos quinque, Vaticanum Palatinum unum. Laurentianorum antiquissimus (*F* hui. edit.) saeculi XI membranaceus (plut. 28, 34) continet collectionem uberrimam scriptorum astrologicorum Graecorum[9]), inter eos frustula quaedam Lydiani libri, caput nonum usque ad verba *σελήνην παρατηρήσεις* (p. 22 v. 3 vid. adnot. critic.), Labeonis dissertationem (cap. 42), disquisitionem de causis terrae motuum (cap. 53—54 med.) ubi fere consentientem habet alterum Laurentianum plut. 28, 14 (*G* hui. edit.) fol. 146, calendarium Clodii Tusci (cap. 57—70). atque magnam optimarum scripturarum copiam cum in ceteris Lydi fragmentis tum in calendario exhibet, in quo etiam notationes singulorum dierum saepe inter se permutat, ita ut fere semper collato Columella (qua de re infra) eius ordinem unice verum esse probari possit, et multa addit, quae omittunt ceteri praeter Leoniceni interpretationem sine dubio ex codice persimili profectam et plerum-

9) permulta in ea sunt inedita, quorum indicem 'non plenum quidem, sed paulo pleniorem Bandiniano' nunc legis in Maximi Ammonisque editione Ludwichiana p. 125 adn. sq. ex eis ego quae ad rem nostram faciant iam proecdosi adnexui, dissertationem de cometis (quam ex Hephaestionis enchiridio tum ignoto, interim edito haustam esse nunc constat) et commentationem quandam de terrae motibus. Duo addo: disputationem *περὶ τῆς τοῦ κυνὸς ἐπιτολῆς καὶ προγνώσεως τῶν ἐξ αὐτῆς συμβαινόντων*, quae in Geoponic. Graec. I c. 8 legitur, multo ampliorem exhiberi ibidem fol. 106 vers. et Teucri Babylonii (de quo vide Gutschmid, *Kl. Schr.* II p. 708 sq.) olim clarissimam (cf. Porphyr. intr. in Ptolem. de effect. astr. p. 200 ed. Bas. et Psell. *π. παραδόξων ἀναγνωσμ.* p. 147 Westerm.) commentationem *περὶ τῶν παρανατελλόντων τοῖς ιβ' ζῳδίοις* etiam latere ibid. fol. 134[b].

que ab Hasio neglectam. ea igitur additamenta propter praestantiam codicis malui in contextum recipere, quam reicere in adnotationem; nonnulla sane non bona Graecitate sunt conscripta; inauditum tamen verbum παχνήτης p. 130, 12 potius corruptum esse videtur (vide adnotationem ad l. s.) quam interpolationis suspitionem movere.

Dein in codice Laurentiano plut. 80, 23 chartac. saeculi XV (*L* hui. edit.) post Theophrasti characteres taeterrime scriptae leguntur astrologicae disputationes haece: 1) περὶ τῶν ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν διοσημείων[10]) καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν καθολικῶν ἀποτελεσμάτων (fol. 12 rect. — fol. 16 vers.), 2) περὶ κεραυνῶν (fol. 16 vers. — fol. 18 vers.), 3) περὶ σεισμῶν (fol. 19 rect. — fol. 22 rect.), 4) τὰ μέρη τῆς σφαίρας οἰκήματα, 5) πῶς δυνάμεθα εὑρεῖν τὸ ζῴδιον καὶ τὴν μοῖραν ἔνθα ἐστὶν ὁ ἥλιος alia similia. earum disputationum quarta (epitome vulgaris Chaldaicae doctrinae) et quinta (in qua παραδείγματος ἕνεκα dies quidam anni 936. post Augustum Caesarem ponitur) nihil ad nos pertinent; tertia est Lydiana disquisitio de terrae motibus (cap. 53—58), secunda eiusdem dissertatio de fulminibus (cap. 43—52), prima denique exhibet Lydi capita 9—15^{b} (p. 45, 13) ita, ut et prior lacuna codicis Caseolini tota expleatur, et altera maxima ex parte. quod ad priorem lacunam attinet ne hic quidem codex Lydi ipsius verba referre videtur, epitome tamen certe est multo amplior quam ista Crameriana.

Per postremam partem saltem in codice *L* verba Lydiana valde decurtata esse docetur non solum paucis eis, quae servavit Caseolinus ex Campestris de cometis dissertatiuncula, sed etiam duobus aliis codicibus Laurentianis plut. 31, 37 (*N* hui. edit.) et 58, 13 (*M* hui. edit.), quorum ille chartaceus scriptus est saeculo XIIII, hic (quem olim iam adhibuit Osannus: v. supra p. XIII) membranaceus anno 1491 ab Ioanne Rhoso (ut testatur subscriptio: μετεγράφησαν καὶ τὰ παρόντα ἤτοι φρουνούτου

10) De hac forma vide Fr. Rühl mus. Rhen. XXIX p. 85 n. 1.

περὶ θεῶν καὶ κομητῶν διὰ χειρὸς ἐμοῦ ἰωάννου πρεσβυτέρου ῥώσου τοῦ κρητὸς $\overline{\alpha}^{\omega}$ $\overline{\upsilon}^{\omega}$ $\overline{\text{ϙ}\alpha}^{\omega}$ *μηνὸς ἰουνίου* $\overline{\kappa\eta}^{\eta}$ *οὐενετίαις.*). in utroque, in illo (fol. 386 r.) *περὶ κομητῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀστεροειδῶν*, in hoc (fol. 31 r.) *περὶ κομητῶν* inscripta[11]) eadem Lydiana legitur de cometis disputatio (in cap. 10 usque ad cap. 15^b, p. 45, 21), qua ultima pars prioris lacunae codicis Caseolini, plerumque certe posterior lacuna expletur, Campestris verba, quae inter utramque media in Caseolini folio quinto et sexto servata sed valde mutila leguntur (p. 35—58 edit. Hasianae), plena omnia scribuntur. qua in re nefas duco non palam contestari, Hasium ita sese insinuasse in Lydi ingenium et stilum, ut in supplendis verbis maxime laceris, quae expiscatus est ex Caseolino (in cap. 9—15), semel tantum a veritate omnino aberraverit, ceteroquin semper sententiam rectam, plerumque ipsa verba scriptoris assecutus sit; etiam ingeniosa coniectura[12]) ultima ea verba, quae ante folium quintum Caseolini interciderunt, restituerit fere ad litteram congruentia cum eis quae nunc ex codicibus addi possunt.

In codice autem Vaticano Palatino 312 (= *P* meae edit.) fol. 183 v. rubre scriptum est: *προοίμιον ἰωάννου λαυρεντίου λυδοῦ φιλαδελφέως ἐπὶ τῆς βασιλείας ὑπάρχοντος ἰουστιανοῦ τοῦ μεγάλου καὶ ἀναστασίου περὶ βροντῶν* et continentur cap. 21 et 22, tum praemissa inscriptione *βροντοσκοπία ἐκ τῶν φωτίου* (sic!) *τοῦ ῥωμαίου κατ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν ἰωάννου λαυρεντίου λυδοῦ; μηνὶ ἰανουαρίῳ περὶ βροντῶν ἐκ τοῦ ἡλίου* sequuntur cap. 23—26 et fol. 185 r. inscripta *περὶ βροντῶν ἀπὸ*

11) in hoc codice ea dissertatio Cornuto tribuitur idcirco tantum, quod *φρουνούτου ἐκ τῶν παραδεδομένων ἐπιδρομὴ κατὰ τὴν ἑλληνικὴν θεωρίαν* praecedit. ceterum uterque codex exhibet ea quae p. 28, 5—29, 11 leguntur, dein adnectit ea quae p. 27, 7—p. 28, 3 scripta sunt, in fine tamen additis eis quae ad p. 28, 3 adnotavi.

12) quam non debuit Bekkero tribuere Hertz de Nigidio Figulo p. 41.

σελήνης capita 39—41.[13]) dispositionem hanc falsissimam[14]) neque Fonteio sed Vicellio cap. 23—26 tribuenda esse, infra docebo; tenere tamen eandem supra dixi codicem Regium 2381 [*R*]. postea fol. 186 r. Palatinus exhibet Nigidii tonitruale (c. 27—38): atque incohata collatione cognovi, ex hoc codice tunc Heidelbergensi Meursianum apographum a Rutgersio editum fluxisse. itaque nolui per totam dissertationem codicem iterum excutere; sed hic illic, praecipue eis locis, ubi de veritate scripturae dubitarem, eum inspexi et nonnullos errores Meursii correxi. quodsi discrepat mea lectio a Meursiana, scias codicem a me consultum esse; ceteroquin Meursiano apographo credidi. potuit vero Nigidianum tonitruale ex hoc codice non tantum saepe corrigi, sed etiam suppleri, id quod aliquotiens editores non animadverterunt. denique in eodem codice fol. 190 v. leguntur capita 54 (p. 109, 11) — 58 (p. 117, 4) i. e. de terrae motibus dissertationis eaedem partes atque in *A* et *V*.

Aliquot annis post proecdosin absolutam per itineris Hispanici opportunitatem Carolo Graux contigit, ut in Matritensi bibliotheca peculiari regii Palatii codicem (*D* hui. edit.) membranaceum saec. XII n. 41 (pristini ordinis n. 35) investigaret, qui olim fuit collegii veteris S. Bartholomaei Salamancensis et praeter Aristotelis meteorologica multis scholiis ornata continet tacito auctoris nomine Lydiana capita 9—15 in quattuor fasciculis, in quinto epitomen Clodiani calendarii usque ad diem 19. mensis Novembris (i. e. Lydi c. 59—69). rettulit de hoc codice cum ipse Graux 'Archives des miss. scientif. et littér.' III. ser. tom. 5 p. 130, tum post eius praematurum obi-

13) Falso Palatini titulo deceptus Antonius Catiforus Zacynthius (saec. XVIII) ex hoc ipso codice descripsit et inter Photii quae collegit opera recepit in codice Veneto Marciano II 15 f. 48 *βροντοσκοπίαν πρὸς τὸν ἥλιον* (= Lydi c. 23—26) et f. 51 v. *βροντοσκοπίαν πρὸς σελήνην* (= c. 39—41): vide Wünschium l. s. p. 413.

14) aliter quidem sentit Swoboda, Nigid. reliqu. p. 35.

tum Albertus Martin 'Nouv. arch. des miss. scient. et littér.' II (1892) p. 109 sq. idemque vir doctus accuratam Grauxii collationem cap. 9—15 edidit nuperrime 'Revue de philol.' n. ser. t. XX (1896) p. 23 sq. atque non solum optimas aliquot scripturas exhibet codex, sed haud pauca, aliqua ex parte largiora supplementa exemplorum hactenus cognitorum. contra non attinet decurtatam calendarii recensionem accuratius conferre.

Denique Wünschius nuperrime ('Byz. Zeitschr.' V p. 410) edidit e codice Parisino suppl. gr. 20 (*T* hui. edit.) saec. XVII fol. 208 r. Lydi fragmentum quoddam — descriptum id e codice Regio 1133 pristini ordinis et *Σεληνιακαὶ ἐπιτηρήσεις Ἰωάννου Λυδοῦ τοῦ Λαυρεντίου* inscriptum — quod libro de ostentis rectissime editor attribuit; neque tamen ad totius libri exordium — id quod Wünschius voluit —, sed ad capitis sexti decimi initium referendum esse ipse exposui mus. Rhen. LII p. 137 sq.

Codicum igitur horum omnium quinam in singulis adhibiti fuerint capitibus, ut uno conspectu appareat, usus notis eisdem atque in adnotatione critica (quarum tabulam vide in membrana sive *σιλλύβῳ*) addo hanc tabulam ex Hasiana et mea capitum dispositione institutam:

cap. 1—8: *C* (fol. 1 r. — 4 r.).

cap. 9—10: *C* (f. 4 v. usque ad capitis 9. verba *μέλανα μὲν* p. 20, 10; f. 5 r. inde a capitis 10. verbis *σανεὶ τόξον* p. 35, 5), *D* (f. 1—18 r.), *F* (f. 156 r. usque ad capitis 9. verba *ἀστέρας παρατηρήσεις* p. 22, 3; dein Campestris verba p. 24, 7 — 25, 2), *L* (f. 12 r. — 15 r.), *M* (f. 31 r. sq. inde ab initio capitis 10.; vide adnot. 11), *N* (f. 368 r. sq. = *M*), *O* (f. 84 r. inde a capitis 9. verbis *μέλανα μὲν κτλ.* p. 20, 10).

cap. 11—15[b]: *C* (f. 5 r. — 6 v. usque ad capitis 15. verba *Πέρσας τε* p. 43, 7), *D* (f. 18 r. — 30 v.), *L*, *M*, *N*.

cap. 16: *T* (f. 208 r.).

cap. 16[a] — 20: *C* (f. 7 r. — 9 v.).

cap. 21—26: *C* (f. 9 v. — 11 v.), *P* (f. 183 v. — 185 r.), *R* (f. 70 v.), *V* (f. 282 v. — 284 v.).
cap. 27 — 38: *C* (f. 11 v. — 19 r.), *P* (f. 186 r. — 190 v.), *V* (f. 284 v. — 287 v.).
cap. 39 — 41: *C* (f. 19 r. — 20 v.), *P* (f. 185 r. — 186 r.), *R* (f. 71 r.).
cap. 42: *C* (f. 20 v. — 21 r.), *F* (f. 153 r. et v.), *R* (f. 71 r.).
cap. 43 — 52: *C* (f. 21 r. — 25 r.), *L* (f. 16 v. sq.), *V*.
cap. 53 (p. 107, 8 — 109, 10 i. e. ap. Hasium c. 53 et 54 pars prior): *C* (f. 25 r. et v.), *F* (f. 110 r.), *G* (f. 146 r.), *L* (f. 19 r. — 20 r.), *R* (f. 70 r.), *S* (f. 1 r.).
cap. 54 (p. 109, 11 i. e. ap. Has. 54 med.) — 58: *A*, *C* (f. 25 v. — 27 v.), *L* (f. 20 r. — 22 r.), *P* (f. 190 v. — 192 r.), *R*, *V* (f. 287 v. — 288 v.).
cap. 59 — 70: *C* (f. 28 r. — 35 r.), *D* (fasc. sing.; usque ad 19. Nov.), *F* (f. 124 r. sq., usque ad 5. Dec.), *R* (f. 74 r. — 75 v.), *S* (f. 17 v. — 24 v., usque ad 5. Dec.).
cap. 71: *C* (f. 35 v.); initium usque ad p. 158, 15: *R* (f. 75 v.).

Praeterea nondum collatum est calendarium Clodii Tusci in codice II 15 (277) bibliothecae Barberinae saeculi XV, quem tamen verba in epitomam contraxisse nunc testatur Wünschius p. 414 et iam in tertio die m. Iulii desinere. neque magis ad hoc calendarium recensendum adhibui saec. XVII codicem Parisinum Graec. n. 3084 (manu Emerici Bigoti exaratum) quem cum Laurentiano *F* eandem generalem exhibere inscriptionem et eodem die (5. Dec.) explicare idem Wünschius l. s. nuper monuit. atque cum in *F* hic duo folia desint et ea media quaternionis (ut recte rec. man. infra scriptum sit: λείπει φῦλλα β'), in promptu est conicere, Bigotianum apographum non minus quam codicem *S* ex ipso Laurentiano profectum esse. Postremo, ut ne quid omittam, in codice Vaticano 1202 chartaceo f. 22 v. misere lacera et paucissima, quippe ex codice in quo plurimae

litterae evanuerint deprompta, extant frustula capitis 71 med. inscripta ἐκ τῆς τοῦ λυδοῦ ἰωάννου. atque haec fluxisse e Vaticano 1065 bombycino f. 21 v. nunc docuit Wünschius p. 415. leguntur vero Lydi excerpta — vel ipsa admodum corrupta — iuxta alia fragmenta geographica, quibus alterius auctoris nomen appositum non est. similis denique congeries legebatur in codice Leidensi quodam, ex quo Creuzerus meletem. p. 91 et lacunam Lydi cap. 71 p. 157, 1—3 explevit et fragmenta geographica tamquam ipsius Lydi edidit (quamquam me fugit, quisnam ille Leidensis fuerit vel sit).

Vnum etiam ut addam necesse est. in eis partibus, quae in solo Caseolino servatae sunt, cancellis rectis [ ] inclusi supplementa coniectura addita; quae, nisi alia expressis verbis monentur, tenendum est profecta esse omnia ex mente Hasii. accuratissima semper ratio spatii vacui in codice Caseolino habita est. quod ubicunque iuste expletum est eis quae in aliis codicibus repperi (quod fere fit in cap. 9—15), superfluum credidi lacunam Caseolini enotare. capitum ordinem ab Hasio institutum turbare nolui, quamvis male cum illo congruit magnum quod ex codicibus accessit incrementum; sed satis habui capita in nimium ambitum iam extenta divisisse in minores particulas quibus litteras a, b, c etc. praefixi, velut cap. 9, 9^a, 9^b, 9^c, 9^d, vel 10, 10^a, 10^b, 10^c; praeterea bis capita prorsus perperam digesta (c. 54 et 71) rectius constitui, suo tamen loco numeris Hasianis adscriptis.

Misit autem Ioannes Lydus hunc de ostentis librum ad duos pluresve (cf. cap. 3 extr. *πειράσομαι ταῦτα πρὸς ὑμᾶς διελθεῖν*), par fratrum (opinari licet) aut coniugum, quorum alterum Gabrielem praefectum fuisse Hasius animadv. in libr. de ostent. p. 293 suspicatur ex Suidae verbis quae ita se habent: *Ἰωάννης Φιλαδελφεὺς Λυδός· οὗτος ἔγραψε περὶ μηνῶν βιβλίον α΄ καὶ περὶ διοσημειῶν ἕτερον καὶ ἄλλων τινῶν ὑποθέσεων μαθηματικῶν. προσομιλεῖ δὲ ταῦτα Γαβριηλίῳ τινὶ ὑπάρχῳ.* quibus de verbis audi Hasium rectissime me iudice in comment. p. XXVIII

disserentem: „suspicor primo scriptum fuisse *καὶ περὶ διοσημειῶν ἕτερον* nec quicquam amplius; postea ut sunt glossae istae multis e centunculis consutis natae, respicientem aliquem ad argumentum multiplex libri de ostentis supra verba *περὶ διοσημειῶν* adscripsisse *καὶ ἄλλων τινῶν ὑποθέσεων μαθηματικῶν*; ea posthac annexa glossulae esse". ceterum Gabrielis istius mentio fit in anthologia Planudea lib. IIII epigr. 32 (*Λεοντίου σχολαστικοῦ εἰς εἰκόνα Γαβριηλίου ἐν Βυζαντίῳ*) et *Γαβριηλίου ὑπάρχου* ipsius epigramma extat in eadem lib. IIII epigr. 208.

Iam nova exoritur quaestio, quis fructus ex hoc libro Lydiano percipi possit; in qua cum videam viros doctissimos et diligentissimos non satis circumspecte iudicare, paulo altius repetenda ea est et primum de fontibus Lydi agendum.

Scriptores astrologos Graecos Lydus in capite secundo enumerat hosce: Zoroastrem, Petosirin, Antigonum, Aristotelem, Heliodorum, Asclationem, Odapsum Thebanum, Polletem Aegiensem, *θειότατον* Ptolemaeum. eorum Aristotelis meteorologica raro, Ptolemaei tetrabiblum[15]) saepissime sequitur; utriusque locos usurpatos in adnotatione adscripsi plenos.

Ceterorum notissimus est Petosiris cuius scripta primo post Chr. saeculo exorta esse pro certo habeo; de eius aetate et scriptis nuper accuratius egerunt Riessius cum dissert. 'Nechepsonis et Petosiridis fragmenta magica' (Bonn. 1890) tum philologi suppl. VI p. 327 sqq. et Bollius annal. phil. suppl. XXI p. 236 sq., cui rursus oblocutus est Riessius philologi nov. ser. VIII p. 185 sqq.

Zoroastri autem, qui apud Lydum l. s. *ὁ πολύς* audit et pariter atque hic iuxta cum Petosiri laudatur a Proclo in Plat. rem publ. (An. Gr. I p. 29, 14 Schöll. = Pitra, anal. sacra V 2 p. 174, 34), scripta Suid. s. v. *Ζωροάστρης* commemorat *ἀστεροσκοπικά* et *ἀποτελεσματικὰ βιβλία* quinque, e quibus excerpta quaedam fluxere in

15) quode nunc vide Fr. Bollium, *Stud. zu Cl. Ptolem.* = XXI. suppl. ann. phil. p. 111 sqq.

Geoponicorum graecam collectionem (lib. I cap. 7. 8. 10. 12; II 15; V 46; VII 9. 11; X 83; XIII 16; XVI), et in Plinii natur. hist. libr. 18 (vid. ind. auct. et § 200; quae ad eum in libro 37 redeunt, potius ex altero scripto non minus lectitato περὶ λίθων τιμίων petita sunt). alia latent in bibliothecis, velut Zoroastri βροντοσκοπία in cod. Paris. gr. n. 2286 f. 109 v. extat et περὶ ἐπιστολῆς ἀναδόσεως ἐκ τῶν ζωροάστρου legitur in Paris. gr. n. 2419 f. 119 v.

Antigonus est Nicaenus, qui laudatur a Demophilo in schol. ad Ptolem. tetrab. (post Porphyrii εἰσαγωγήν ed. Wahler, Basil. 1559 p. 201), quem Nechepsonis et Petosiridis copias expilasse et Lydus c. 2 testatur et probat cod. Vindobonensis phil. Gr. CVIII fol. 213 φέρε δὴ οὖν καὶ ἐνταῦθα προσθῶμεν τὸν τρόπον, καθ' ὃν ἄλλοι σκέπτονται τὰς γενέσεις οἱ περὶ Πετόσιριν καὶ Νεχεψῶ καὶ ἐξ αὐτῶν Ἀντίγων (immo Ἀντίγονος) ὁ Νικαεύς; eiusdem ipsum illud θεμάτιον περὶ γενέσεως ineditum legitur in cod. Paris. 2419 f. 106 r. et alia ἀποτελεσματικὰ in cod. Vindob. supra laudato f. 301 v. exhibentur.[16])

Heliodorus scripsit in quinquaginta tria capita digestum commentarium in Pauli Alexandrini εἰσαγωγὴν εἰς τὴν ἀποτελεσματικήν; hic quoque liber ineditus extat in bibliotheca Vindobonensi (Lambeck. VIII p. 256). Asclatio prorsus ignotus est (Ascletario mathematicus a Suetonio Domitian. c. 15 commemoratus utrum idem fuerit ut crediderit Hasius animadv. p. 292 necne, mihi incompertum). Odapsus Thebanus a Hephaestione περὶ καταρχῶν I c. 1 p. 52, 14; 57, 11; 61, 2; 66, 5. Engelbr. (et inde in comment. Laurent. 28, 34 f. 153 v. αἱ χῶραι συνοικειούμεναι τοῖς $\overline{\iota\beta}$ ζῳδίοις a me in proecdosi ad Lydi cap. 71 excerpta,

16) cf. Nessel, catalog. IV p. 63, Lambeck., de bibl. Caes. vol. VII p. 557. Reinh. Koepke, de Antigono Carystio (Berol. 1862) p. 32 falso hunc Nicaenum diversum esse credit ab Antigono, quem Lydus laudat et Koepke Aristotele antiquiorem esse inde efficere voluit, quod ante eum a Lydo commemoraretur; neque rectius Riessius diss. Bonn. p. 26 astrologum confudit cum Arati interprete (cf. Maass, Aratea p. 150).

a Ludwichio in suo Maximo tota edita p. 114, 24; 116, 14; 117, 11; 118, 25) inter auctores astronomicae ethnologiae commemoratur.

Denique Polles Aigiensis quae huc faciant secundum Suidam scripsit multa, inter ea *περὶ τῆς παρὰ Τυρρηνοῖς μαντικῆς* et *περὶ κεραυνῶν καὶ τῆς αὐτῶν παρατηρήσεως*. a Lydo ipso commemoratus etiam c. 8 extr. quasi primarius eorum auctor laudatur qui *περὶ ἐπόπων καὶ νυκτικοράκων λύκων τε καὶ ἀλωπέκων ὅταν ἐν πόλεσι φαίνωνται* dixerunt; quae spectant procul dubio ad octo eius *οἰωνοσκοπικῶν* libros, quos idem Suidas affert. ceterum videtur ante Philonem Byblium vixisse, cum Suidas adscripserit *Αἰγιεὺς ἀπὸ Αἰγιῶν τῆς Ἀσίας· κεῖται δὲ πλησίον Μαγνησίας καὶ Σμύρνης* et tales observationes geographicas ex Philone petere solitus sit.

Horum tamen quidquam in usum suum convertisse Lydum probari nequit. Contra ipse in fine eiusdem capitis ait se potius Italos sequi velle, quorum astrologos principes recenset Tagetem, Tarchontem, Tarquitium, Capitonem.

Mira vero de Tagetis et Tarchontis scriptis in capite tertio Ioannes narrat. exponit in eis primum Tarchon, quis ipse fuerit (*Τάρχων γέγονε μὲν θυοσκόπος, ὡς αὐτὸς ἐπὶ τῆς γραφῆς εἰσενήνεκται, εἷς τῶν ὑπὸ Τυρρηνοῦ τοῦ Λυδοῦ διδαχθέντων*); tum narrat quodam die cum araret, extitisse e sulco puerum Tagetem[17]); eum se in sacris locis deposuisse et petiisse, ut ipsum quid arcani edoceret, illumque vota sua explesse. conscripsit igitur Tarchon hoc colloquium sacrum, in quo ipse *τῇ τῶν Ἰταλῶν ταύτῃ τῇ συνήθει φωνῇ* Tagetem interrogat, ille respondet *γράμμασιν ἀρχαίοις τε καὶ οὐ σφόδρα γνωρίμοις ἡμῖν γε ἐμμένων*; et hoc scriptum *εἶναί τινες Τάγη-*

17) quem Graecorum *Ἑρμῆν χθόνιον* esse credit Proclo diadocho (*ὥς που καὶ Πρόκλος φησὶν ὁ διάδοχος*), ex cuius theologia Platonica et commentariis in Platonis Alcibiadem permulta in librum de mensibus transtulit.

τος ὑποπτεύουσιν, ἐπειδήπερ ἐκεῖ κατά τινα διαλογικὴν ὁμιλίαν ἐρωτᾷ μὲν δῆθεν ὁ Τάρχων, ἀποκρίνεται δὲ ὁ Τάγης. quae omnia ita comparata sunt, ut ne de suppositicio quidem quodam libro quem Lydus genuinum habuerit et legerit cogitandum sit, sed de ridicula confusione priscarum de Tagete fabularum et Tageticorum librorum mentionis (de quibus cf. Müller. Etrusc. II p. 24 sq. et commenta Lucani I 636 p. 41, 19 Usen.) cum narratiunculis recentissimis ipsiusque stultitia.

Dein Tarquitii Prisci[18]) famam usque ad Lydi aures percrebruisse, non est cur miremur, quippe scriptoris facile omnium qui de Etrusca disciplina scripserint celeberrimi, cuius scripta et Verrius Flaccus (ap. Fest. p. 274 s. v. ratitum) et Plinius (ind. libr. II et XI) et Macrobius (III 7, 2 et 10, 3) excusserit, cuius liber transcriptus ex ostentario Tusco insertus fuerit corpori librorum Etruscorum, quod laudat Servius in Vergil. eclog. IIII 43 (= Macrob. III 7, 2), cuius librorum de rebus divinis auctoritate vel Iuliano imperatore haruspices nisi sint (Ammian. Marcell. XXV 2, 7). sed praeter famam Lydus nihil ex illo cognovit.

De Capitone statim dicendum est. fundamentum enim totius huius disquisitionis positum est verbis quae profert Lydus in capite tertio extremo: ὅσον μοι γέγονε δυνατὸν ἔκ τε τῶν Θούσκων[19]), ἔκ τε τῶν ἄλλων, ὅσοι τούτους ἡρμήνευσαν, Καπίτωνός τέ φημι καὶ Φοντηίου καὶ Ἀπουληίου Βικελλίου τε καὶ Λαβεῶνος καὶ Φιγούλου Πλινίου τε τοῦ φυσικοῦ.

Capito et Fonteius pariter iunctim laudantur a Lydo de magistrat. prooem. τὰ ἐπίσημα τῶν ἀρχόντων ἀπὸ Θούσκων λαβὼν ὁ βασιλεὺς Νουμᾶς τῇ πολιτείᾳ εἰσήγαγεν,

18) cf. de eo Haupt ind. lect. Berol. aestiv. 1859 = op. II p. 152.

19) Θούσκων pro πεύσεων haud ita facili sed necessaria correctione scripsi, cum et πεύσεων ineptum sit et τούτους ad quod referatur substantivum flagitet; Θούσκους intellege Tagetem et Tarchontem.

ὥσπερ καὶ τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον ἀπὸ Γαλατῶν. καὶ μάρτυρες μὲν τούτων ὅ τε Καπίτων καὶ Φοντήιος ἐξ ὧν καὶ ὁ διδασκαλικώτατος Οὐάρρων, Ῥωμαῖοι πάντες, μεθ' οὓς Σαλούστιος οὗτος ὁ ἱστορικὸς ἐπὶ τῆς πρώτης ἱστορίας σαφῶς ἀναδιδάσκει. ex quo loco colligi poterat, Capitonem Fonteiumque fontes fuisse Varronis, ex eo hausisse Sallustium, nisi Lydus errores in historia litterarum Romanarum haud raros sed immanes commisisset. neutiquam praeterea ex Sallustio[20]) ea scriptorum nomina mutuari potuit, immo ea omnia hausit ex unico eo fonte, ex quo tacito nomine deprompsit confusam et perversam neque a quoquam traditam narrationem, sed ut assolet pro suo stupore et ridicula vanitate cunctos quasi optime sibi cognitos enumerat. Capitonem autem quominus Ateium esse[21]) concedatur, id obstat, quod eius temporis puri puti fuerunt iuris consulti, longe remoti a grammaticorum doctrina. Sinnium contra Capitonem[22]) huc magis quadrare, aliquatenus probant fragmenta talia, qualia leguntur apud Fest. s. v. sinistrae aves p. 339 Müller. *a deorum sede cum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes. eo factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextera esse existimentur;* ap. eund. s. v. monstrum p. 138 Müller. atque idem cum non minus publicas, quam sacras antiquitates

20) sive eius rei memoriam cum Linkero ad primum historiarum librum, sive cum Kritzio (p. XLI) et Gerlachio ad orationem Caesaris in Catilinae libro referas; alterum si ponas, manifesti erroris convictus est Lydus, Caesar enim in Catilin. 51, 38 insignia quidem magistratuum a Tuscis, sed arma atque tela militaria a Samnitibus sumpta esse dicit. cf. Ioan. Frid. Schultze, quaestion. Lydian. partic. prior. dissert. inaug. 1862 Gryph. p. 37.

21) id censuerunt C. B. Hase, Müller Etrusc. II p. 37 adn. 70, Hertz, de Nigid. Fig. p. 32, Dirksen frgm. iur. cons. rom. p. 90, Osann ad Pomponium p. 54, Huschke Iurisprud. anteiusti. p. 44 sq. et dubitanter I. F. Schultze l. s. p. 39.

22) de quo cogitaverunt O. Iahn in act. societ. Saxon. II p. 284 adn. et Linker Sallust. prooem. p. 79.

Romanorum perscrutatus sit (cf. Hertz *Sinnius Capito* p. 25), non plane improbabiliter creditur, eum esse laudatum in loco supra scripto. quod autem Capito ἱερεὺς a Lydo (cap. 2) appellatur, id tanti facio. rectius tamen fortasse statuitur, Capitonem quendam ceteroquin ignotum hic laudari; ceterum Capitonis nomen et auctoritatem nulli dissertationi vel mentioni in toto libro Lydus adscripsit. quodsi id mire quem habet, quia reliqui omnes l. s. laudati scriptores identidem fontes proponuntur, poterit conicere, unicam illam disputationem, quae certo auctori nec nomine addito adsignatur nec aliunde adscita ratiocinatione cuiquam adsignari potest, dico eam, quae cap. 17—20 continetur, Capitoni esse tribuendam. quod si ita est, licet statuere auctorem Petosiriacis copiis non minus usum esse atque Campestrem et Graeca sane origo proditur vigiliarum numero hic adhibito, de quo infra p. XXXVII dixi. res tamen me iudice nimis in lubrico posita est.

Fonteii Romani esse dicitur tonitruale[23]) cap. 39—41 (ἐκ τῶν Φωντηίου τοῦ Ῥωμαίου καθ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν). idem laudatur a Lydo de mens. IIII 2 (Φροντήιος) in libro περὶ ἀγαλμάτων; ibid. 52 (Φρωντήιος), de magistr. III 42 (Φωντήιος); recte enim ubique Bekker eiusdem Fonteii nomen videtur reposuisse.[24]) praeter Lydum nemo eum cognitum habet; de eius aetate tamen acute ita argumentatur I. F. Schultze quaestion. Lydian. part. pr. p. 38: „ea quae de magistr. III 42 de oraculo versibus concepto ad Romulum dato narrat faciunt, ut non nimiam dignitatem auctori tribuamus. haec narratio mihi quidem imperatorum romanorum aetatem videtur redolere, ut e contrario (de magistr. prooem.) Fonteium ex Varronis

23) cur Müller. Etrusc. II p. 175 n. 74 dixerit, hoc tonitruale plerumque consentire cum interpretatione primi post Sirii ortum tonitrus quae in Geopon. Gr. I c. 10 legitur, me fugit; consensus enim nullus est.

24) debuit tamen non Φωντήιος, sed Φοντήιος scribere: cf. Schmitz in nov. mus. Rhen. XI p. 299.

libris hausisse suspicer; nam quae apud Lydum de mens. IIII 2 de Iano temporum praeside et duodecim altaribus ei consecratis exponit, ea etiam apud Varronem lib. V rer. div. legebantur (cf. Macrob. sat. I 9).“

Apuleius etiam in capite 54 commemoratur his verbis: *Βικέλλιος ὁ Ῥωμαῖος ἐκ τῶν Τάγητος στίχων, περὶ οὗ καὶ Ἀπουλήιος ὕστερον πλατεῖ καὶ ἐλευθέρου ποδὸς ἀφηγήσατο λόγῳ*, i. e. cum ad Etruscos eorumque libros Tageticos omnem divinationem Lydus referat, scripsisse dicitur Apuleius de disciplina augurali vel omnino de arte divinandi. ad eum et Varronem Nigidiumque disputatio cap. 10[d] extr. (*τοιαῦτά τινα οἱ περὶ τὸν Ῥωμαῖον Βάρρωνα Νιγίδιόν τε καὶ Ἀπουλήιον προύθηκαν*) refertur, quae, hausta per lacunam codicis Caseolini, ex codicibus Laurentianis addita est. eius maxima pars Ptolemaei et Plinii est, ut suo semper loco monitum est; Apuleii enumerationem cometarum diversorum generum (p. 31 v. 3 — p. 32 v. 5) esse eo efficitur, quod eandem *κατὰ τὸν Ῥωμαῖον Ἀπουλήιον* Lydus de mensib. IIII cap. 73 tradit diversamque eam ab Aristotelis opinione. denique ter laudatur in narrandis ostentis quae Romanis acciderunt cap. 4 (*Ἀπουλήιος περὶ τῶν τοιούτων*, i. e. de ostentis, *γράφων*) de tribus solibus Claudio Caesare simul visis totidemque lunis Domitio et Fannio consulibus, cap. 7 de lapide ad Abydum Cyzicumque caelo delapso, cap. 44 (*ὁ μέγας Ἀπουλήιος*) de Marcia gravida fulmine icta.[25]) quae omnia tam ad ingenium philosophi Madaurensis magicarum artium peritissimi (Augustin. ep. 138) sunt facta, ut dubitare nequeas ab eo ipso omnia esse profecta.[26]) ceterum veri admodum simile est, ab ipso Apuleio

25) quae accuratius et ornatius hic Apuleius narrat, brevem eorum mentionem etiam Plinius II 99. 100; 150; 137 facit: ita ut Plinium ab Apuleio adhibitum esse appareat.

26) cf. Müller. Etrusc. II p. 38 et potissimum O. Iahn. in act. societ. Lips. 1850. II p. 284—286, qui his quoque locis nisus Apuleium ponit in numero eorum Romanorum, qui de toto orbe doctrinae scripserunt.

non solum Varronem Nigidiumque auctores esse prolatos[27]), sed redire ad eum etiam omnia illa huius capitis, quae apud Plinium legi in adnotatione critica exposui.[28])

Vicellius Romanus homo est prorsus ignotus, confusus olim male cum Nigidio Figulo.[29]) eius ῥήμασιν αὐτοῖς, ut ait Lydus, translata dissertatio extat in cap. 55—58, in qua fuse exponit, in quas regiones terrae motuum significationes valeant secundum solis collocationem in singulis zodiaci signis. in hac distributione cum anxie Ptolemaei auctoritatem sequatur (fuit autem magna astrologorum in ea re dissensio), post Ptolemaeum vixerit necesse est, siquidem revera huius scripti auctor est, Vicellius. ab eo etiam tonitruale in cap. 23—26 sine auctore propositum et perperam in Palatino codice Fonteio tributum ut repetas, cogeris eo, quod cum ceteris in rebus Vicellio simillimum tum eidem zonarum distributioni ethnographicae superstructum est.

Etiam Labeonem multi fuerunt, qui Antistium esse opinarentur, vel eo seducti quod cum Capitone, quem Ateium esse sibi persuaserint, consociatus est.[30]) sed iuris consulto hic nihil est negotii. contra Λαβεών, cuius explicationes Iani Consivii et Februarii Plutonisque Februi Lydus de mensibus IV 1 et 20 affert, fuerit Cornelius Labeo, qui apud Macrobium (saturn. I 16, 29) 'primo fastorum libro' nundinis ferias esse pronuntiat[31]); itaque

27) quod recte monet Swoboda, Nigid. reliqu. p. 42.
28) vide adnotationem 25.
29) a Creuzero symbolic. vol. II p. 927 adn. 132 et Schneidero ind. ad script. rei rustic. p. 358.
30) C. B. Hase, Hertz de Nigid. p. 32, Huschke l. s. p. 43, C. F. Schultze l. s. p. 39.
31) cf. Merkel, proleg. Ovd. Fast. p. LXXVII. scio Wissowae, de Macrob. saturn. font. p. 26 Macrobii culpa Cornelium pro Antistio positum videri; totam enim hanc expositionem ex Suetonio haustam esse. sed primum mihi non constat, num plane incredibile sit, aliunde aliquid adspersisse excerptis suis Suetonianis Macrobium; deinde Antistium fastos conscripsisse neque traditum est neque per se ita veri simile; denique Cor-

per se probabile est hic quoque eundem dici.[32]) neque male cum huius viri ingenio congruunt[33]) quae ex Labeone in libro de ostentis afferuntur; ceterum eodem spectare videntur, quae leguntur apud nebulonem Fulgentium de abstr. serm. s. v. manales p. 599 Merc. = p. VIIII. IX Lersch.: *Labeo qui disciplinas Etruscas Tagetis et Bacidis* (cf. Zinck, Fulgent. p. 90) *quindecim voluminibus explanavit*'. de aetate Cornelii post incertas Merkelii et Mülleri suspitiones[34]) accuratius nuper disputatum est atque Kettner, Reifferscheid, Kahl, Wissowa alii[35]) eum nunc tertio p. Ch. saeculo adscribunt, quod mihi quoque maxime probabile visum est. sed nuper Bureschius oblocutus est[36]) ratus eum etiam ad alterum saeculum referendum esse, quamquam significatam tantum sententiam ut certis argumentis comprobaret ei per praematuram mortem non licuit, omnibus bonis viris eam flebilem.

Ad Labeonem a Lydo refertur cap. 42, in quo disquiritur, quidnam portendatur lunae positione ea, quam tempore solstitii aestivi occupat. cui disquisitioni mire ita inscribitur: *καθολικὴ ἐπιτήρησις πρὸς σελήνην περὶ κεραυνῶν καὶ ἄλλων καταστημάτων ἐκ τῶν Λαβεῶνος καθ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν ἀπὸ τῆς θερινῆς τροπῆς*. vides enim partem tantum huius tituli cum argumento disputationis

nelius a Macrobio adhibetur etiam I 12, 21, ubi de dea Maia similia adnotat atque apud Lydum de Iano et Februo, et III 4, 6, ubi largas doctrinae de Penatibus copias omnes Cornelio deberi post Kettnerum Wissowa ipse sagaciter exponit Hermae vol. XXII p. 35 sq.

32) id censuerunt iam Müller, Etrusc. II p. 36; Merkel l. s. p. LXXVII.

33) cf. Kahl, 'Corn. Lab.' in philologi V suppl. p. 717; Mülleneisen, de Corn. Lab. frgt. stud. Marburg. 1889.

34) recte tamen Müller. l. s. 'Labeonem' ab Augustino de civ. dei II 14 laudatum Cornelium esse statuit.

35) Kettner, Corn. Labeo 1887 (Arnobium permulta ex Labeone hausisse probavit, quod negavit quidem Bureschius l. s., sed vix recte: cf. Wissowa Herm. l. s.); Reifferscheid ind. lect. schol. Vratisl. 1879/80 p. 9; Kahl l. s.

36) Buresch, Klaros p. 54 sqq. et 128.

congruere; reliqua autem pars optime quadrat in eam, quae praemissis generalibus quibusdam animadversionibus statim subsequitur, dissertationem de fulminibus sine nomine auctoris exhibitam (cap. 47—52). in utraque autem eadem tenetur ratio, qua ex natura signi zodiacalis, in quo sol lunave positi sint, efficitur quid praemonstretur; ut exemplum afferam, sole vel luna libram ingressis iniquitas significatur et pernicies eis frugibus, quae trutina pensantur, sin virginem, virginibus castis et feminis periculum inminet et agris sterilitas, alia. dein in utraque continetur *καϑολικὴ ἐπιτήρησις* (quod praeterea in nulla inde a cap. 23—58 reperitur); in utraque denique observatio incipitur ab ariete, id quod Aegyptiaci moris est.[37]) Labeoni igitur etiam cap. 47—52 adsignanda sunt.

Nigidius Figulus citatur cap. 45 *ἐν τῇ τῶν ὀνείρων ἐπισκέψει*, in qua praedicat fulminis per somnium visi faustum omen; videtur igitur Hertzio (de Nigid. Fig. p. 35) iudice divinationem quae somniis nititur singulari libello exposuisse. ceterum tenendum est, talem somniorum interpretationem apud Chaldaeos magis quam apud Etruscos usitatam fuisse atque inde scrupulum de origine Nigidiana facile alicui inici posse.[38]) dein in cap. 27—38 proponitur *ἐφήμερος βροντοσκοπία τοπικὴ πρὸς τὴν σελήνην κατὰ τὸν Ῥωμαῖον Φίγουλον ἐκ τῶν Τάγητος καϑ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν* de qua infra dicam.

Denique post ea, quae in priore lacuna codicis Caseolini interciderunt et ex Laurentianis accesserunt (c. 10[d] extr.),

37) cf. schol. Arat. v. 544. *οἱ Αἰγύπτιοι εἰκότως ἀπὸ τοῦ κριοῦ ποιοῦνται τὴν ἀρχήν, πάντα τὰ ζῴδια κατὰ ἀναλογίαν λαμβάνοντες τῶν μελῶν καὶ δὴ τὸν μὲν κριὸν κεφαλὴν εἶναί φασιν, ἐν ᾗ τὸ ἡγεμονικόν, ἐπειδὴ ὁ κριὸς τῶν προβάτων ἡγεμὼν καὶ πρόοδός ἐστιν, καὶ ὅτι ἐν τῷ κριῷ ὁ ἥλιος ἰσημερίαν ποιεῖται, ταῦρον δὲ τὸν αὐχένα ἄχρι τῶν ποδῶν, οἵ εἰσιν οἱ ἰχϑύες.* Vicellius (cap. 55) etiam ab ariete incipit, Nigidius a cancro, ceteri a capricorno. ceterum utramque disputationem non Etruscae disciplinae, sed Chaldaicae astrologiae prae se ferre naturam, non opus est ut moneam.

38) cf. Schmeisser quaest. Etrusc. p. 22 sq.

legitur *τοιαῦτά τινα οἱ περὶ τὸν Ῥωμαῖον Βάρρωνα, Νιγίδιόν τε καὶ Ἀπουλήιον προύθηκαν.*[39]) huius autem capitis pauca quaedam Campestris esse infra docebo; magnam partem ex Ptolemaeo fluxisse, in adnotatione demonstratum est; deinde quae Apuleio certo tribuenda sint, supra exposui. Sed iam supra dixi etiam Pliniana et Nigidii Varronisque mentionem probabiliter ex eodem Apuleio hausta esse, ita ut Lydus neque illum neque hos ipse videatur ad hoc caput conscribillandum inspexisse. Quae cum ita sint, admodum sane difficile est diiudicatu, quae tandem Nigidio vel Varroni tribuenda videantur esse, id est ab Apuleio ex his auctoribus deprompta. nihilo setius quamquam non magna, tamen aliqua cum probabilitate ita puto disputari posse.

Restant praeter paucissima quaedam Chaldaica astrologica (p. 20, 10—p. 21, 6 et p. 29, 16—p. 31, 2) solae observationes de signis tempestatis eae, quae leguntur p. 23, v. 6—p. 24, v. 4: *πρόδηλόν ἐστιν, ὡς ὅταν ἀνίσχων (ὁ ἥλιος) ὥσπερ ὑπολανθάνει κτλ.* usque ad verba *λαμπροτέραν ποιῶν.* quae a Nigidio profecta esse duobus probari potest argumentis. primum hae observationes, quae solae ex omnibus eis ad quas referri potest Nigidii nomen supersunt, optime conveniunt cum eius libris de vento (de quibus cf. Hertz de Nigid. p. 41, Breysig de Nigid. fragm. p. 43, Swoboda Nigid. reliqu. p. 61 sq.); in eis enim solis et lunae habitum ad praedictiones de ventis futuris adhibuit.[40]) dein nisus est saepe Nigi-

39) superfluum duco multis refutare, quae olim de hoc testimonio opinati sunt Hertz Nigid. p. 41 et Merkel prol. fast. p. LXXXVII, cf. p. 319.

40) Sueton. frg. 152 Reiffersch. = Nigid. frg. CV Swobod. (Isidor. de nat. rer. c. 38 et schol. Germanici Sangerm. p. 201, 15 sqq.) *Nigidius ait, luna si summo in corniculo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres fore; sin media tunc, cum plena sint in ea cornicula, serenitatem. certe si rubet quasi aurum, ventos ostendit . . . fit enim ventus ex aeris densitate, densitate obducta sol et luna nubescunt; . . . item si cornua eius obtecta fuerint nebula, tempestas futura est.* Nigidius frg. CVI

dianis his libris vel, si mavis, secutus est eosdem atque ille fontes Vergilius, qui haec tempestatum signa „in georgicis divino paene comprehendit ingenio“ (Vegetius de re milit. V 11); conferas enim quaeso argumentum fragmenti quod prius infra scripsi cum Vergil. georg. I 427:

„luna, revertentes quom primum colligit ignis,
si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
maxumus agricolis pelagoque parabitur imber:
at si virgineum suffuderit orbe ruborem,
ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.“[41])

pariter observationes Lydianae, quas conieci Nigidii esse, stabiliuntur consensu Vergilii, qui georg. I 446:

. . „ubi sub lucem“ inquit, „densa inter nubila sese
divorsi rumpent radii . . .
. . multa in tectis crepitans salit horrida grando.“

et ibid. 458:

„at si cum referetque diem condetque relatum,
lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
et claro silvas cernes aquilone moveri.“

Contra dubius haereo, quid Varroni adsignem. quod enim ei soli tribui possit, iam nihil superest. tamen mihi quidem haud absonum videtur, in illo quem modo tractavi loco etiam Varronis navales libros (sive ephemeridem navalem) in partes vocatos esse. nam his libris summo iure adscribi possunt Varronis meteorologicae quae hic illic traduntur animadversiones. cf. Vegetius de re milit. V 11 *quae* (signa tempestatum) *Varro in navalibus libris diligenter excoluit.* in eis autem similes quasdam atque Nigidius in libro de ventis notat significationes; velut ea quae Nigidius ap. schol. German. p. 112 (vid. adnot. 26) ponit, aliqua ex parte repetit Varro apud Plinium XVIII 349: „nascens luna si cornu superiore

(Isidor. ibid. et schol. German. p. 195, 1): *Nigidius dicit, si pallidus sol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum significare.*

41) cf. Arat. 803:
πάντα δ' ἐρευθομένῃ δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους,
ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένῃ δοκέειν ὑετοῖο.

obatrato surget, pluvias decrescens dabit; si inferiore, ante plenilunium; si in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio"; et ibid. 348: „si rutila (erit), ventos (significabit)." potuit igitur hic quoque Varro laudari sive a Nigidio ipso, quod pro temporis ratione certe licuit, cum ephemeris navalis conscripta sit c. a. a. Chr. 77 (cf. Bergk in nov. mus. Rhenan. I p. 369), sive una cum Nigidio ab eo, ex quo hausit Lydus i. e. Apuleio. Lubenter tamen concedo haec omnia satis incerta esse.

Ex Plinio denique fere omnia ostenta deprompta sunt, quae Lydus ex historia Romana affert, plerumque ad verbum expressa neque unquam addito auctoris nomine; id ipsum tamen inde facilem explicatum habet, quod videtur Plinii memoriam ex Apuleio hausisse Lydus. semel tantum (cap. 7) laudatur in enarranda re, quam ipse se vidisse narrat Plinius II 150: *ἐπὶ τῆς φυσικῆς ἱστορίας ὁ Ῥωμαῖος Πλίνιος λίθον ἑωρακέναι φησὶν ἐν Βοκοντίῳ ἐξ οὐρανοῦ κατενηνεγμένον.*

Praeterea Campestris vel Campester — Campestris nimirum nuncupatus est in Adnotationibus super Lucanum[42]), Campester a Fulgentio l. i. s. — a Lydo in partes vocatur p. 24, 5: *ὁ δέ γε Ῥωμαῖος Καμπέστριος ταῖς Πετοσιριακαῖς ἀκολουθῶν παραδόσεσι*[43]) et p. 35, 8 auctor longae de cometis disputationis, quae nunc plena ex codicibus Laurentianis edita est, exhibetur. hanc quoque disputationem ex Petosiriacis copiis derivatam esse arguitur per Servium, qui in Aen. X 273 (quem locum in epimetro de cometis p. 170 adnexui) eadem fere proponit et in fine addit: „plures vel pleniores differentias vel in Campestri vel in Petosiri si quem delectaverit quaerat"[44]).

42) I 529 *Campestris scribit cometas quinque esse* etc., vide in epimetro de cometis p. 167.

43) ab eo repetendum esse credo totum locum inde a p. 24 v. 5 usque ad p. 25 v. 25.

44) ex eodem fonte apparet hausisse Hephaestionem Thebanum, cuius cap. 24 in epimetro de cometis p. 167 apposui: vide nunc Riess. diss. Bonn. p. 21 et philol. suppl. VI p. 349 sq.

sed apparet eum Petosiriacam quae ad Aegyptum solam spectavit doctrinam ad sui aevi et Romani quod tunc erat imperii statum rationemque adaptavisse: atque praeter cetera qui ubique subest Persarum metus digito quasi monstrat ultimos fere saeculi tertii annos[45]), quibus Campestrem vixisse proclive est conicere.[46]) ceterum apud Fulgentium contin. Vergil. p. 742 Staver. narratur Campester 'in catabolicis infernalibusque' cecinisse.

Quis postremo fuerit Fulvius defensor divinationis astrologicae in cap. 16 (*Φούλβιος ἐκ τῶν τοῦ Νουμᾶ ἱστορήσας*), prorsus ignoratur; opinati quidem sunt Merkel proleg. Ovid. fast. p. LXXV alii, esse Fulvium illum Nobiliorem qui teste Charisio I p. 112 Putsch. fastos scripsit i. e. calendarium composuit non dissimile Verri Flacci Praenestino[47]); sed me iudice audacius quam verius.

Iam vero quaeritur, num ratio et natura Etruscae et Romanae disciplinae sacrae in libro Lydiano recte possit perspici, num vera illius divinationis imago sit proposita. incorruptae quidem colorem antiquitatis in eo desiderari nemo inventus est qui negaret. atque primo obtutu vides, imperatorem Caesarem eiusque aulam saepe commemorari, controversias dogmaticas tangi, vel ieiunium Christianorum respici[48]), fere unicam gentem cuius irruptio semper immineat Persas esse, qui tempore Iustinianeo regni Byzantini fuerint hostes perniciosi[49]), tantum non omnia moribus illius aevi adaptata esse.

45) cf. Riess, diss. p. 21.

46) minus recte O. Müller Etrusc. II p. 38 eum aequalem fere Apuleii Madaurensis fuisse statuit.

47) cf. Mommsen *römische Chronologie* p. 41 n. 51 edit. alt. CIL I[1] p. 362.

48) cf. Hase praefat. p. XVII, Hertz Nigid. p. 33 not. 3; de ieiunio cf. p. 76 v. 16, de controversiis dogmaticis p. 89 v. 3.

49) eorum scilicet irruptione statim post cometae apparitionem facta Lydus ipse, qui eo usque temporis divinationem astrologicam anile et ineptum esse inventum crediderat, sibi persuasit, eam verissimam ac paene divinam esse artem: cf. prooem.

Cui malo ita mederi studet C. B. Hase ut sumat, fortasse Lydum e libris haruspicinis ritualibusque selegisse ea potissimum, quae ad sua quoque tempora regionesque sibi propinquas accommodari quodammodo posse existimaret. praetermissa autem consulto esse omnia illa, quae vel ad gentes Italiae Aequos Latinos Samnites Picentes Tuscos spectarent, vel ad administrationem rei publicae de comitiis auspicato edicendis obeundis dimittendis vel ad loca augurata Latii agrique Romani, Albanum montem, lucum Maricae, armilustrum, aedes urbanas: ea enim cuncta Graecis hominibus saeculi sexti rerum Italicarum incredibiliter rudibus fastidia ac monstra debuisse videri. interdum quoque res priscas vocabulis novis suoque tempore usitatis esse obscuratas; denique illo tempore impium fere fuisse proferre in lucem, quae ex pontificum libris eruta essent de auspiciis cliviis, sacris novendialibus, lectisterniis faciendis, supplicationibus circa templa fana pulvinaria decernendis. Sic igitur factum esse ut in excerptis his Lydus non servaret nisi pauca[50]) eaque obscura antiquae persuasionis vestigia[51]). ipse autem Hasius in conficienda interpretatione Latina coniectura sagaciter saepe et feliciter assequi conatus est eam sententiam, quae olim fuerit sed a Lydo inscite perversa.[52]) Itaque Hasius quamquam concedit a Lydo multa novata esse et mutata, tamen cum cetera scripta manasse credit ex optimo fonte tum fulgurum interpretationes cap. 47—52, si pauca exceperis, sumptas esse ex libro vetere pontificio rituali fulgurali (p. XX).

O. Müller Etrusc. II p. 42 opinatur, scripta Romanorum Labeonis Nigidii aliorum de disciplina Etrusca a haruspicibus recentioribus temporibus sola esse usurpata, pedetemptim corrupta et perversa immixtis superstitioni-

50) relictam tamen esse p. 48 *A* (= p. 39, 12 h. ed.) opinionem Romanorum veterum, quae pertineret ad populi victi caeremonias ad se ipsos transferendas, bene monet Hase.
51) Hase praefat. p. XVIII sq.
52) cf. praefat. p. XVI.

bus Chaldaicis et Aegyptiacis doctrinaque Graeca meteorologica; neque aliter Hertzius iudicat, qui omnia quae de Etrusca disciplina tradat Lydus genuino alicui fundamento esse passim superstructa dicit (p. 32) atque Nigidii Figuli tonitruale foede interpolatum, tamen Nigidii esse putat (p. 33).

Contra ego censeo. nihil enim genuini, nihil Etruscae vel Romanae disciplinae auguralis et ritualis inesse Lydi libris, subditicium Nigidii tonitruale esse contendo et certissimis argumentis evincam.

Vnum quod video afferri potest vestigium Etruscorum disciplinae, tangi in cap. 47 doctrinam a Tuscis de fulmine regali prolatam[53]); quod quam nullius momenti sit, docetur eo, quod vel in codice Theodosiano XVI 10, 1 decretum est: „si quid de palatio nostro aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiae quid portendat ab haruspicibus requiratur.“ tritum igitur hoc fuit ut quod maxime; ceterum omnia divinationis genera quae in Lydiano libro exercentur non Etrusca sunt, sed Chaldaica, Aegyptiaca, Graeca. Campestrem ex Petosiri, Vicellium ex Ptolemaeo pendere totum, Labeonem prorsus Chaldaicae et Aegyptiacae astrologiae se addixisse iam supra demonstravi.

Dein non solum a Romanis[54]), sed etiam ab Etruscis alienum fuit ex solo tonitru vaticinari, quod rectissime iam Müller Etrusc. II p. 177 affirmavit. quam sententiam ut refutaret, unicum testimonium Hertzius Nigid. p. 33 potuit afferre Ciceronis de divin. I 33, 72; atque id nuper manibus eius detortum est editione a Christio ad optimos codices redacta. ibi enim cum olim legeretur

53) cf. Müller Etrusc. II p. 164.

54) augures sane docuere 'Iove tonante fulgurante comitia populi habere nefas' (Cic. de divin. II 18, 42): inde vero minime efficitur, quod tamen credidere Müller l. s. et Swoboda, Nigid. rel. p. 31, Romanos ex singulis tonitribus certa quaedam eventa vaticinatos esse: immo agitur de auspiciis caelestibus inter oblativa gravissimis.

et tonitruales libri, iam scriptum est *et rituales libri* secundum optimos libros[55]) recteque editor amicus animadvertit, rituales libros, cum Festo auctore de urbibus condendis, de aedibus sacrandis deque aliis id genus rebus agerent, multa ex disciplina haruspicina petita continere potuisse.

Neque unquam Etrusci frequentaverunt totum id genus divinationis, quod nititur observando signo zodiacali, quod sol vel luna occupet, quale fere per totum librum usurpatum est. in capitibus 17—20 praeterea origo proditur re parva sed manifesta, quod vigiliae numerantur non quattuor Romanae (cf. Censorin. 23, 9), sed tres Graecae (cf. Pollux I 70).

Ceterum facile a me impetro ut credam, Lydum ipsum finxisse, haec scripta Etruscam disciplinam repraesentare neque ullum eorum auctorem unquam Etruscam speciem prae se ferre voluisse; miro enim Etruscorum amore captus est Lydus, fere omnia ab eis repetit; credidit scilicet Etruscos eosdem atque Tyrrhenos i. e. Lydos fuisse, itaque proavos ipsius.

Neque concedo, Nigidium non Etruscam sed Chaldaicam doctrinam proponere voluisse, cum soleat Romanorum ipsorum disciplinam sacram enarrare[56]); immo pro certo habeo, totum tonitruale, quod Nigidii fertur, esse suppositum.[57]) Exordium capit hoc tonitruale a

55) *et rituales* legitur in Vossiano A, Vindobonensi man. sec. *et trituales* in Vossiano B, Heinsiano, Vindobonensi man. prim. (?, Christ scribit V²), in deterioribus nonnullis *et tonitruales; tonitruales* igitur librarius ex *trituales* correxit, ut sibi visus est, seductus antecedentibus libris fulguralibus.

56) Distat quod Nigidius in libris de 'sphaera Graecanica' et de 'sphaera barbarica' astronomiam tractavit, i. e. non solum de ipsis sideribus et cometis, sed etiam de fabulis astronomicis egit ex Graecorum et Aegyptiorum doctrina: illam autem perversam Chaldaeorum doctrinam astrologicam in hoc libro exhibitam esse, nullo fragmento probatur.

57) Huic iudicio iam in proecdosi lato accesserunt Kahl philol. suppl. V p. 734; Schmeisser, *die etrusk. Disciplin* (1891),

mense Iunio, non quod eo tempore tonare incipit, ut voluit Burinius[58]), sed quod Iunio sol cancrum ingreditur, atque a cancro, quod lunae domicilium sit, incipere decet in observatione lunari, ut ipse auctor ait, *καλῶς ἄν τις ἄρα καὶ τὸν σελήνης οἶκον ἐπιλέξαιτο, ὥστε ἀπὸ τοῦ καρκίνου καὶ ἐνταῦθα τὴν ἐφήμερον ἀπὸ τῆς σεληνιακῆς νουμηνίας κατὰ τοὺς σεληνιακοὺς μῆνας ληψόμεθα τῶν βροντῶν ἐπίσκεψιν.* de domiciliis zodiaci doctrinam, quae imperatorum aetate immane quantum propagata est, iam Nigidii aetate Romae notam fuisse, certe demonstrari nequit; neque mihi persuadere possum ut Nigidium Lydi solius testimonio fretus credam peregrinae huic disciplinae operam dedicasse.

Alterum accedit multo gravius. observatio instituitur secundum menses synodicos, cuius semper triginta dies enumerantur, quamvis revera 29 dies et fere 13 horas contineant. atque hi menses synodici triginta dierum semper exaequantur ita mensibus anni civilis[59]), ut novus mensis semper initium capiat a novilunio; quem computum potest sane quis conicere recentiore interpolatione tonitruali obtrusum esse: sed quid tandem genuini superest? immo omnia tam sunt ridicula, tam supra modum inepta, ut ea Nigidio astronomiae peritissimo attribui nequeant. potuit talia conscribillare profecto nemo nisi homo, qui

p. 37. genuinam contra originem defendere studuit Swoboda, Nigid. reliqu. p. 31 sq.; sed eius argumenta reprobavit Wissowa *Zeitschr. f. österr. Gymn.* 1889 p. 996.

58) 'acad. des inscript. et belles lettres' 1764 p. 197: „apparement parceque c'est vers ce temps de l'année, que le tonnerre commence a se faire entendre" quod ei credit Hertz p. 33; sed res ipsa falsissima est, cum in Italia Graeciave mensibus aestivis Iunio Iulio Augusto rarissime tonet, contra frequentissime vere et aütumno.

59) nolo urgere nomina Iulii et Augusti nondum Nigidii aetate (qui mortuus est a. 45 a. Chr.) extitisse; talia enim facillime postea poterant mutari. neque necesse est, immo vix licet, in libro Nigidiano de anno Iuliano cogitare. fac igitur ponas veterem annum Romanum 378, 377, 355 dierum. quousque te vertis, eaedem te manent ineptiae.

prorsus deditus altae astrologicae sapientiae astronomiae ne prima quidem elementa extremis digitis attigit.[60])

Ne multa, omnia quae in Lydo extant scripta composita sunt aetate, in qua Romae omnium gentium superstitiones absurdissimae inter se confusae sunt et pavor stuporque animi lubentissime maxime miris artibus delectatus est, tertio quartove p. Chr. saeculo. huic igitur aetati adscribas Vicellium, Campestrem, Fonteium. Latine quidem scriptae erant illae disputationes sed versae minime a Lydo, homine Latini sermonis misere gnaro[61]), contra excerptae mutatae accommodatae ad ipsius temporis mores, religionem, statum publicum.

Nihil ergo me iudice valent omnes quae in Lydo reperiuntur disputationes astrologicae ad illustrandas Romanorum Etruscorumve antiquitates sacras: habent tamen aliquid momenti, si Byzantinorum spectas tempora, quod primitiae sunt studiorum in eis mirum in modum excultorum et propagatorum. Nam per tota Byzantinorum saecula superstitiosa summis in delitiis tales disquisitiones astrologicas habuerunt cum alias tum *βροντολόγια* et *σεισμολόγια*, ita ut ne imperatores quidem aspernarentur, talia componere; velut imperatoris Heraclii in codice Regio 2267 extat tonitruale, *βροντολόγιον τῶν ιβ' ζῳδίων συνταχθὲν ὑπὸ Ἡρακλείου βασιλέως ἐκ τῆς ἀστρῴας κινήσεως* (cf. Du Cange in append. ad glossar. Graec. p. 44). coniuncta quidem erant haec studia pariter atque in Lydi libro cum disquisitionibus de causis physicis tonitrus, terrae motus, de signis tempestatum, meteorologicis et prognosticis cuiusque generis. neque eas dedignati sunt imperatores. nam Constantinus Porphyrogennetus in append. ad libr. I de caeremon. p. 467 inter libros qui ipsi vel in castris prae manibus fuerint enumerat: *βιβλίον τὸ περιέχον περὶ*

60) ceterum Hertz p. 32 recte monuit legem observationis soli Romae destinatae violatam esse ad d. 30. mens. August. et ad d. 10. Septemb.

61) cf. I. F. Schultze quaest. Lydian. § 2 *quam peritus linguae Latinae Lydus fuerit* p. 6 sq.

εὐδίας καὶ χειμῶνος καὶ ζαλῆς ὑετοῦ τε καὶ ἀστραπῶν καὶ βροντῶν καὶ ἀνέμων ἐπιφορᾶς, πρὸς τούτοις βροντολόγιον καὶ σεισμολόγιον καὶ ἕτερα ὅσα παρατηροῦνται οἱ πλευστικοί· ἰστέον δὲ ὅτι τοιοῦτον βιβλίον ἐφιλοπονήθη καὶ ἐκ πολλῶν βιβλίων ἠρανίσθη παρ' ἐμοῦ Κωνσταντίνου . . . βασιλέως.

Quam late patuerint haec studia quaevis Graecis codicibus paulo instructior bibliotheca demonstrat: tam ingens est silva Byzantinarum disputationum „de ostentis"; non minus *ἑρμηνεία τοῦ βροντολογίου καὶ τοῦ σεισμολογίου, ἑρμηνεία τοῦ σεισμολογίου τῶν δώδεκα ζῳδίων, βροντολόγιον τῶν ιβ μηνῶν* alia reperiuntur, quam *παρασημειώσεις προγνωστικαὶ περὶ τῆς μελλούσης τοῦ ἀέρος καταστάσεως*[62]) similia. quid quod etiam in Britanniam haec studia utriusque generis transmigraverunt? inter scripta Bedae Venerabilis legitur etiam *libellus de tonitruis ad Herenfridum* (vol. VI p. 343 sq. ed. Giles), translatus, ut scriptor ipse ait in praefatione, ex sermone Graeco in Latinum, neque minus eius feruntur *pronostica temporum* et *de praecognitione copiae aut paupertatis futurae* (edit. Basil. 1563 vol. I p. 462 sq.). falso tamen has disputationes ex Lydo manasse dicit Hase comment. p. XV sq., fere nullus enim est consensus. ceterum unum ex his seismologiis ineditis in epimetro secundo de terrae motibus adnexui et permultorum tonitrualium unum edidit nuper ex Ambrosiano E 81 sup. Wünschius *Byz. Ztschr.* V p. 416.

Et quo usque processerit vesana in istis vaticiniis collocata fiducia Nicetas Choniates tibi narrabit, qui in Manuel. Commen. VII 5 p. 233 ed. Genev. 1593 haece refert: *λέγεται ὡς τοῦ δόγματος τούτου* (de oblatione incarnati dei) *ὑποκινουμένου καὶ εἰς κοινὴν ἐπικρινομένου προτεθῆναι βάσανον, ἐξώρως ἐκραγῆναι βροντὴν ἐξαισίαν, ὑφ' ἧς καὶ περικτυπηθῆναι τὰς ἀκοὰς τὸ συνὸν ἅπαν τῷ*

62) haec leguntur in codice Laurentiano XXVIII 32 fol. 12 rect. et editae nunc sunt ex meo apographo apud Heegerum, de Theophrasti qu. f. *π. σημείων* libello (1889) p. 66 sqq. (vide p. 60).

βασιλεῖ κατὰ Πελαγονίαν διατρίβοντι τότε, ὡς ἀπὸ τοῦ κτύπου πολλοὺς εἰς γῆν καταπίπτειν. καί τινα τῶν τροφίμων, Ἠλίαν τοὔνομα, τὴν τύχην ὑπὲρ τοὺς πολλούς, τοῦ στρατοῦ φύλακα, βίβλον ἀναπτύξαντα περὶ βροντῶν καὶ σεισμῶν διεξιοῦσαν καὶ τὰ περὶ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον καθ' ὃν ἐβρόντησεν ἐπελθόντα, φάσκοντα εὑρεῖν οὑτωσί· 'πτῶσις σοφῶν'.[63]) *οὐ μόνον τοίνυν οἱ ῥηθέντες ἄνδρες τῶν τηνικαῦτα ὄντες σοφῶν οἱ κράτιστοι τῆς ἐκκλησίας ἀπεσφενδονήθησαν καὶ πάσης ἱερᾶς ὑπηρεσίας ἐξωστρακίσθησαν, ἀλλὰ σὺν αὐτοῖς καὶ ἕτεροι τῶν ἱερῶν καὶ θείων περιβόλων ἀποσηκασθέντες ἠλάθησαν.*[64])

Quae res cum ita se habeant, Lydi librum de ostentis a Byzantinis lectitatum esse iure suspicari licet neque raro ab eis commemoratur. Theophylactus Simocatta hist. eccl. Reg. p. 186 B inquit *περὶ τῶν ἀνθρωπομόρφων καὶ Νειλῴων ζῴων καὶ τοῖς πάλαι ἱστόρηται. τίνος δὲ σημαντικὸν ἡ τούτων ἐνδημία καθέστηκεν εἰπεῖν ἐθάρρησεν ὁ Λυδος τῶν ἄλλων λίαν νεώτερος καθεστὼς ὃς κατὰ τοὺς χρόνους ἐγνωρίζετο Ἰουστινιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος*[65]), ad quem locum teste Hasio in comment. de Lydo p. XV in codice Vatic. Gr. 971 haec adscripta sunt: *σημείωσαι ὅτι ὁ Λυδος ὁ περὶ κομητῶν καὶ ἴριδος καὶ λοιπῶν περὶ τον ἀέρα παθῶν ἑρμηνεύσας ἐν τοῖς χρόνοις ἦν Ἰουστινιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος.* Leo Tactic. constit. in epit. § 67 (ed.

63) plane similia leguntur apud Lydum p. 78, 8: *εἰ βροντήσῃ . . πτῶσιν ἀνδρῶν εὐπόρων ἀπειλεῖ*, multis aliis locis.

64) perraro auditur vox hominis sani, velut Nicephori Homologetae in Corp. iur. Graec. Roman. p. 196 *τὰ λεγόμενα βροντολόγια καὶ σεληνοδρόμια ἢ καλανδολόγια οὐ χρὴ δέχεσθαι· βέβηλα γὰρ πάντα.* Calandologiis exponebatur quid Calendis Ianuariis significari videretur prout primo, secundo, tertio reliquis hebdomadis diebus accidebant; eorum specimen edidit Wünschius l. s. p. 419 sq.

65) sententia hodie non legitur in libro Lydiano; eam in initio mutilato positam fuisse suspicatur Gutschmid in indice Lydiano; quod admitti potest, si putaveris post Hebraeorum doctrinam ibi pauca quaedam de genere *τεράτων* (opposito eo signis quae *σημεῖα* dicuntur) apposuisse Lydum (cf. p. 5).

Lami ex cod. Laurent. in oper. Meurs. vol. VI Florent. 1745) col. 917 celeberrima astronomica scripta recenset Ptolemaei canonem et quadripartitum, Arati phaenomena, Ἰωάννου τοῦ Λυδοῦ καθημερινήν τε καὶ μηνιαίαν ἐπιτήρησιν. Etiam in collectaneis codicis Parisini Gr. suppl. 607[a], quae nuper edidit Maxim. Treu progr. Ohlav. 1880 p. 45, 10 et 46, 24, Lydi capita 53. 54 et 44. 45 in brevius contracta leguntur. mirum in modum postremo Lydi librum in usum suum convertit Byzantinus quidam, de quo Gaulmin ad Psellum de operat. daemon. (p. 199 ed. Boissonade) ex codice Regio adnotat haece: σεισμοὺς *immittit* (*Satan*) *sed per* ἀγγέλους σεισμῶν *ut credebant illi syderati quos magi quinque esse agnoscunt, puto, ob quinque* σεισμῶν εἴδη, *quia sunt* ἐπικλινίαι (sic! idem error in omnibus Lydi codicibus extat) βράσται, ῥῆκται, σεισταί, ἵζηματίαι. *astrologus msc. plura disserit; inde et veteribus Persarum, si nebuloni Graeculo adhibenda fides est,* οἱ μάγοι τῶν σεισμῶν.

Contra minus Lydi opus probat, ut est severior in diiudicandis scriptis, Photius cod. 180 p. 125[a]. 30 sq. Bekker. ἀνεγνώσθησαν Ἰωάννου Λαυρεντίου Φιλαδελφέως τοῦ Λυδοῦ πραγματεῖαι τρεῖς· περὶ διοσημειῶν, περὶ μηνῶν, περὶ ἀρχῶν πολιτικῶν. ἀλλ' ἡ μὲν περὶ διοσημειῶν ὅσα γε κατ' ἐμὴν κρίσιν καὶ πεῖραν οὐδὲν ἢ ἐπ' ὀλίγον διενήνοχε μύθων. neque clementior est anonymus quidam grammaticus Byzantinus, qui Alexio Comneno regnante vixit. is amico cuidam ita scribit ap. Cramer. anecd. Oxon. III p. 187 v. 4 sq.: ταῖς Λυδοῦ μαντείαις, ἃς ἐκεῖνος ἔκ τε Φοντηΐου (cod. φώντου) καὶ Φιγούλου (cod. φηγούλου) καὶ τοῦ μυθολογουμένου παρὰ Ῥωμαίοις Τάγητος συναγήοχε, μὴ πάνυ τι πρόσεχε· τερατολόγος γὰρ ὁ ἀνὴρ οὗτος καὶ πολυφόρητος . . . καὶ εἴγε πιστεύεις τῷ Λυδῷ Ἰωάννῃ, πρὸς τὰ ἐκείνου σε πέμποιμι βροντολόγια.

Restat ut pauca addam de ultima parte libri Lydiani, de calendario Clodii Tusci.

Clodium Tuscum nullo iure Merkel proleg. ad Ovid. fast. p. LXVI contendit Tuscum esse, de cuius poematis

loquitur Ovidius Pont. IIII 16, 20: *quique sua nomen Phyllide Tuscus habet.* sed induxit Merkelium in hanc sententiam perversa quam de calendario Clodii concepit opinio. id nimirum censet Ovidio suppeditatum a Clodio amico, quem ipse fastos compositurus rogasset, ut de rebus astronomicis quas rectius calleret librum in ipsius usum conscriberet, atque ab Ovidio in elaborandis fastis usurpatum esse. quam tamen opinionem ipse evertit, cum concedat multis locis non solum Ovidium ab amici calendario discessisse, sed saepe errores amici rerum astronomicarum scilicet peritissimi ab Ovidio earum rerum paene ignaro prudenter correctos esse. atque multo maior inter Ovidii et Tusci notationes evadit discrepantia, si spectas omnia ea, quae transponendo supplendo corrigendo Merkelius tantum eo animo tollere conatus est ut consensum inter amicos restitueret[66]; qua in re quam male provinciam susceptam administraverit, luculenter exposuit Hertzbergius in diariis antiquit. 1846 p. 241 sq. apage igitur opinionem praeiudicatam, cui quid veri insit, statim explicabitur.

Müllerus Etrusc. II p. 39 Clodium aequalem Apuleii esse putat, quod ea demum aetate talia scripta tamquam Etrusca perhiberi potuerint. verum Lydi ipsius stupori, fortasse coniecturae, quam recte ex nomine Clodii Tusci capere sibi visus est, debentur eius verba cap. 71 *καὶ ταῦτα μὲν ὁ Κλώδιος ἐκ τῶν παρὰ Θούσκοις ἱερῶν.*

Mihi maxime videtur probabile, auctorem calendarii esse Clodium Tuscum, ad quem Sinnius Capito litteras dedit (cf. Gell. V 20, 2), cuius commentarii grammatici laudantur identidem a Servio.[67]) quae opinio stabiliri

66) falsam Merkeli sententiam etiam falsiorem reddidit I. F. Schultze quaest. Lydian. p. 25: „. . quod permulta quae ad mythologiam et festa Romanorum pertinent, libris de mensibus cum Ovidii fastis conveniunt. uterque enim tractatus diario Clodii Tusci ad Ovidii usum conscripto (cf. Merkel prol. ad Ovid. fast. p. LXVI) fundatus est".

67) in Aen. I 52; II 229; XII 657; quartus liber laudatur in Aen. I 176.

etiam potest natura calendarii ipsius. non nego equidem, calendarium, quale nunc legitur, vix ac ne vix quidem a Clodio illo potuisse scribi, immo concedo videri interpolatum et hic illic assutis pannis deformatum esse; tamen genuinum superest fundamentum, quod optimo iure repetas a Clodio Tusco aequali Capitonis Sinni. primum enim hoc calendario latini auctoris interpretationem exhiberi cum eo probatur quod p. 157, 2 legimus ἡ βροῦμα, οἱονεὶ ἡ χειμερινὴ τροπή, tum nonnullis iudiciis a me suo loco significatis, quibus effici videtur, latina verba non bene intellecta esse a Graeculo. deinde, ut statim dicam quod sentio, primarius fons, ex quibus rivulos suos irrigaverit iste Clodius, vetus est calendarium rusticum Romanum *Eudoxi et Metonis antiquorumque fastis astrologorum* (Colum. IX 14, 12) fundatum, quode post Pontederae[68]) quasdam opiniones probabilem — ut etiam nunc mihi persuasum est — excogitavit sententiam Theodorus Mommsen chronol. Rom. p. 54 sq.

Contuli enim calendarium Clodii cum ceteris quae extant omnibus astronomorum notationibus atque adscripsi semper in adnotatione critica congruas ceterorum opiniones, eas tamen tantum, quae plene vel satis commode suapte sponte consentiunt; omisi omnes, quarum consensus ut probaretur vel longiore disputatione vel probabili opus esset correctione. sed ne quid omitterem, addidi, si quid inter Ptolemaei notationes astronomicas et calendarium Clodianum conveniret.

Has igitur collationes si perlustraveris, hanc videbis prodire summam: plenus fere et absolutus consensus est Clodium inter et Columellam, qui priscum calendarium rusticum se sequi ipse l. s. testatur. deinde plerumque egregie cum Clodio conspirant Varronis pauca huius generis a Lydo de mensibus servata testimonia, quae ad eius

68) antiquit. p. 244 sq. (epist. 24 de antiquissimo anno solari quo Graeci Latinique usi sunt) et p. 338 sq. (ep. 39 de dieteride Romana Eudoxi fastis exornata).

ephemeridem rusticam referenda esse probavit Bergk in nov. mus. Rhen. I p. 370. atque in ea ephemeride potuitne omnino Varro aliud proponere calendarium quam Eudoxi Italicum? siquidem id ut faceret coactus est Columella, *quia notior est ista vetus agricolis concepta opinio*. denique haud raro concordant inter se Clodius et Ovidius, quem ex eodem fonte atque Columellam et eo diverso ab observatione Caesaris (cui prorsus se dedit Plinius XVIII 57) hausisse, computatione instituta docuit Idelerus, in dissertatione inserta actis academ. Berol. 1822. 1823 p. 137 sq. *über den astronomischen Theil der Fasti des Ovid.*

Accurate autem omnia, quae Clodius Columella Varro Ovidius, praeterea Polemius Silvius et Aetius (de quibus vide infra in proleg. calend. Gr.) communia proferunt, consideranti et inter se conferenti apparebit, opinor, una eademque omnes niti auctoritate, sed diversa ea a fastis Iulianis, ita tamen, ut passim pro arbitrio vel iudicio adderent, omitterent, mutarent. communis vero ista auctoritas quae potest esse nisi calendarium vetus rusticum, quod etiam ab hominibus litteratis ad doctas disquisitiones velut a Varrone in octavo antiquitatum rerum divinarum libro de feriis[69]) adhibitum esse constat? accedit postremo, quod saepe cum Clodio congruunt Eudoxus et Euctemon (i. e. Meton), siquidem sat recte eorum notationes a Pseudo-Gemino servatas contuli, Eudoxi et Metonis fastis fundatum est calendarium quod dixi rusticum; contra id quod gravissimum est inter notationes Clodii et Iulii Caesaris (a Plinio l. s. exhibitas eas) fere nunquam convenit.

Id sane primo obtutu apparet, ex diversis multorum

69) cf. Mommsen chronol. Roman. p. 69. apud Plinium XVIII 284 et 286 quod trium dierum spatium inter Robigalia (25. April.) et Floralia (28. April.) interpositum est, vereor ne id debeatur per Plinii quandam confusionem Caesaris fastorum correctioni, ex qua inter 25. et 28. d. m. Aprilis priscorum fastorum unus dies interiectus est (26. Aprilis fastorum Iulian.).

parapegmatis[70]) male conflatum esse hoc calendarium, omissis quidem semper auctorum nominibus — quorum Lydus ipse in fine enumerat anteposito Eudoxo Democritum, Varronem, Hipparchum, Metrodorum, Caesarem —, saepe vel diversorum ortus occasusve generum significationibus; haud raro etiam male vertendo, contrahendo, confundendo Lydum errores commisisse. Tamen omnium quae supra posui argumentorum coniuncta vi id certe effectum iri spero, ne prorsus absona videatur ea, quam supra tuli de Clodii calendario, sententia.[71]) confidentius vero de ea re ut loqui liceat, opus est disputatione enucleatiore atque paulo altius repetenda obstrictaque multis difficultatibus, quam ipse olim distuli neque interim alius quis suscepit.[72])

Distributio denique quam in fine libri Lydus addit singularum terrae regionum inter singula zodiaci signa, quibus obnoxia sint, vel ut aiunt astrologica geographia, ea tota exscripta est ex Ptolemaei tetrabiblo (vid. adnotat. critic.).

In proecdosi solum indicem auctorum a Lydo laudatorum addideram, in quo conficiendo tunc praesto mihi fuit index totius Lydi accuratissime ab Alfredo de Gutschmid elaboratus; nunc adieci etiam rerum gravissimarum indices, qui fortasse non prorsus infructuosi erunt, praesertim cum augurer fore ut pauci tantum totum librum legant. Seclusi tamen Clodii calendarium quippe quod rectius ad reliqua calendaria quae sequuntur Graeca referatur.

70) inde non solum frequens iteratio eiusdem apparitionis explicatur, sed fortasse etiam mira sermonis varietas quae in adnotandis eisdem apparitionibus regnat.

71) ceterum tacere nolo, quamquam intellego id mali ominis esse, hoc calendarium a Salmasio, Plinian. exerc. p. 748, aureolum libellum vocatum esse; tumultuariam contra quandam miscellam variis ex parapegmatis sine ordine ac iudicio confectam atque ad Salmasii genium factam a Petavio, auctar. op. de doctr. temp. p. 267.

72) Ungerus tamen, qui quantum scio unus rem tetigit, in Mülleri compend. litt. antiqu. I² p. 81 ab opinione mea aliquantum discessit.

PROLEGOMENA

IN

CALENDARIA GRAECA

Liber Lydianus quo paulo commendabilior prodeat, addidi calendaria Graeca quae extant omnia, anonymi in fine Geminiani libri adnexum, Ptolemaei, Aetii Amideni, Quinctiliorum; denique ex Lydi libro de mensibus, Eudoxi qui fertur papyro Parisino, Columellae libris de re rustica, Polemii Silvii fastis, Florentini georgicis, Plinii naturalis historia excerpsi ea quae ad calendaria spectant.

Calendarium, quod nunc in ultimo capite (XVI) Gemini isagoges exhibetur, non a Gemino ipso compendio suo astronomico additum esse, sed ab homine sciolo aliunde depromptum et hic sine ratione adglutinatum Boeckhius olim evicit quattuor argumentis nixus in libro cui inscripsit: *über die vierjährigen Sonnenkreise der Alten, vorzüglich den Eudoxischen.* Berlin 1863, p. 22 sq.[1]) primum enim offendit in eo, quod calendarium istud adnectitur ne uno quidem verbo de naturae eius ratione addito. deinde Geminus ipse totam prognosticorum doctrinam longe abiecit verbis hisce (cap. XIV p. 72 ed. Halma): *τὰ περὶ τὰς ἐπισημασίας οὔτ' ἐπιτυγχανόμενα ὁλοσχερῆ τὸν ἔπαινον ἔχει οὔτ' ἀποτυγχανόμενα κατηγορίαν. ἄτεχνον γάρ τι μέρος ἐστὶ τοῦτο τῆς ἀστρολογίας καὶ οὐκ ἄξιον προφορᾶς.* porro Geminus per totum librum (cf. Boeckh. p. 10 sq.) sequitur Hipparchi placita, cum in aliis rebus tum in constituendis spatiis trimestribus, quae in capite primo ita exponit, ut primum inde ab ariete usque ad cancrum 94 ½ dies efficeret, secundum a cancro ad libram 92 ½, tertium a libra ad capricornum 88 ⅛, quartum a capricorno ad

1) Item nuper iudicavit M. C. P. Schmidt philol. vol. XLV p. 293.

arietem $90\frac{1}{8}$; nullo autem modo convenit inter hos numeros et eos, quos in parapegmate observatos esse videmus (potius Callippeos eos, ut statim exponam):

cancri	31 dies	92 dies	librae	30 dies	89 dies
leonis	31 —		scorpionis	30 —	
virginis	30 —		sagittarii	29 —	
capricorni	29 dies	89 dies	arietis	31 dies	95 dies
aquarii	30 —		tauri	32 —	
piscium	30 —		geminorum	32 —	

denique in calendario saepe Euctemo et Callippus commemorantur astronomi, nusquam Philippus, nusquam Hipparchus, quorum alterum prorsus omissum esse a Gemino, qui eum una cum Euctemone et Callippo laudet cap. VII p. 47 Halm.[2]), veri videtur dissimile, alterum, cui totus se dediderit, credi omnino nequit (cf. Boeckh. p. 28 et 29).

Calendarium ipsum miro errore Halma astronomus in editione Gemini p. 88 ad Eudoxum referre conatur. Theodorus vero Mommsen in chronol. Roman. p. 57 not. 78 edit. alt. Hipparchi id esse dicit fretus Idelero, qui (*astronom. Beobacht. d. Alten* p. 267 et in enchiridio chronolog. vol. I p. 358) contendit, in eo Hipparchicam doctrinam inaequalitatis motus solis observatam esse. accurate contra idem Boeckhius l. s. p. 24 sq. enucleat, spatia trimestria quae in calendario Pseudo-Gemini exhibentur Callippea esse (quae per papyrum Eudoxi colum. XXII et XXIII nunc sat cognita sunt). quae opinio egregie eo stabilitur, quod revera in hoc calendario a Callippo solstitia et aequinoctia primis signorum zodiaci diebus adscribuntur, primo cancri solstitium aestivum (*ἐν τῇ ᾱ ἡμέρᾳ Καλίππῳ . . τροπαὶ θεριναί*), primo librae aequinoctium autumnale (*ἐν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ Καλίππῳ . . ἰσημερία μετοπωρινή*), primo capricorni brumale solstitium (*ἐν τῇ ᾱ*

2) *ἀστρόλογοι ἑτέραν περίοδον συνεστήσαντο τὴν τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος οἱ περὶ Εὐκτήμονα καὶ Φίλιππον καὶ Κάλλιππον.*

ἡμέρᾳ . . Καλίππῳ τροπαὶ χειμεριναί), primo arietis aequinoctium vernum (ἐν τῇ πρώτῃ Καλίππῳ . . ἰσημερία ἐαρινή). consideranti igitur neque Hipparchum in hoc calendario neque ullum Hipparcho posteriorem astronomum laudari persuadebit Boeckhius p. 25 sq., esse id compositum ante Hipparchum (i. e. ante alteram partem secundi a. Chr. saeculi), neque tamen prius fine saeculi tertii propter aetatem Dosithei aliquotiens commemorati (de qua infra).

Gemini libellum post Edonem Hildericum Petavius[3]) in uranologio suo edidit 'ad veterum manuscriptorum fidem exacte castigatum'. de codicibus ipse narrat praefat. fol. IIII: 'e codicibus unum penes nos habebamus haud adeo veterem sed accuratum ac scriptum inprimis eleganter. alter in Oxoniensi bibliotheca reperitur, quocum editionem Hilderici diligenter contulit Henricus Briggius, Oxoniensis mathematicus . . . . utriusque ope ac beneficio variarum lectionum indiculum accepimus, quas paucis exceptis totidem in nostro codice deprehendimus. quamobrem quicquid in nostra hac editione Gemini aliter atque in priore offenderis, id ex amborum auctoritate et consensu inmutatum esse scias'.

In proecdosi igitur horum solum Petavianorum codicum discrepantias afferre potui. nunc mihi insigni liberalitate suppeditavit Carolus Manitius, professor Dresdensis, omnium codicum scripturas, quibus nixus iam in eo est ut Gemini libellum tandem aliquando ex arte et ratione recenseat. ipse vero selectas tantum scripturas apposui duorum Vaticanorum (V^1, V^2), unius Vindobonensis (W), de quibus Manitium in Commentat. Fleckeisen. p. 95 sqq. disputantem adi. Praeterea antiquae versionis Latinae aliquoties adhibui lectiones, quas exhibet codex Dresdensis (D), de quo Manitius egit in Fleckeiseni annal. 1886

3) Scaliger, de emend. rat. temp. IV p. 248 sq. (edit. 1629) παράπηγμα hic illic non ex codicum auctoritate sed ex suo arbitrio mutatum exhibuit.

p. 475 sqq.; raro etiam, quas habet Florentinus Laurentianus bibl. Leopold.-Mediceae Faesulanae (*F*).

Argumenta rationis, ex qua huic calendario adaptaverim *dies civiles qui nunc sunt* (in contextu suo loco a me adscriptos), si quis quaerit, ei respondebit Ungerus qui in chronologici sui compendii (in Mülleri compend. antiqu. litt. I^2) § 31 Boeckhii (l. s. p. 42—58) rationes quas in proecdosi adhibueram acute correxit.

Ptolemaei calendarium si cum duabus quae hactenus prodierant editionibus Petavii et Halmae contuleris quasi novum, omnibus ex partibus emendatius et multo amplius in proecdosi editum est; id quod non mea culpa evenit, sed per mira quae huic libello acciderunt fata. primus hunc librum Graece edidit Petavius in uranologio p. 71 sq., qui in praefatione haec narrat: „Ptolemaei nobis copiam amicus quidam fecit, qui ex antiquo codice eum descripsit, eundemque post invenimus in Regia bibliotheca et a N. Rigaltio utendum accepimus, ex quo etiam non pauca castigavimus.“ Fuit is, ut nunc scio, cod. Parisinus Gr. n. 2390, quem etiam Halma passim inspexit; descriptus ille est — ut vidit Hanow, Ptolem. π. κριτηρ. κ. ἡγεμ. (1870) p. V — ex codice Laurentiano 28, 1 (quode vide infra). sed sunt quaedam in quibus Petavianus contextus cum Vaticano (*V*) magis concordet. valde manca autem haec princeps erat editio; nam non solum permultae apparitiones et significationes omissae erant, sed etiam tota praefatio deerat. quae omnia supplevit I. A. Fabricius bibl. Gr. vol. III p. 420 sq. prim. edit. ex codice Saviliano Oxoniensi (*S*), cuius apographum ab I. Fr. Wincklero Oxoniae confectum nanctus erat, ex quo etiam reliquas scripturae discrepantias enotavit. ex plane simili codice, qui a Vincentio Pinelli Genevensi editori missus est[4]), fluxisse primo obtutu apparet interpreta-

4) In Ambrosiana bibliotheca, in quam multi Pinellii libri transierunt, nunc non reperitur; latet igitur fortasse in Patavina.

tionem latinam (B), quae iam 38 annis ante editionem principem Graecam Vrbini prodiit 1592 per Federicum Bonaventuram Vrbinatem ita inscripta: *Claudii Ptolemaei inerrantium stellarum apparitiones ac significationum collectio. libellus mire elegans atque ad aeris praevidendas mutationes omnino necessarius, antehac nunquam impressus. a Federico Bonaventura Vrbinate latinitate donatus scholiisque nonnullis illustratus. item libelli duo, alter ex Columella, alter ex Plinio excerpti de inerrantium stellarum significationibus.*[5])

Ex Petavio et Fabricio atque in appendice ex Bonaventura omnes congessit stellarum apparitiones et secundum computum astronomicum recensuit Idelerus *über den Kalender des Ptolemaeus* in act. acad. Berol. 1816. 1817 p. 163 sq. perutili opera, qua egregie de Ptolemaeo meritus est.[6]) Contra plane nihil, immo nihilo etiam minus nuperus editor Gallus Halma (in libro *Κλαυδίου Πτολεμαίου, Θέωνος κ. τ. λ. κανὼν βασιλειῶν καὶ φάσεις ἀπλανῶν καὶ Γεμίνου εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα, table chronologique des règnes* etc. Paris 1819 p. 13 sq.) praestitit.[7]) Petavii enim contextum cum Ideleri tabula sine ratione et contra rationem confudit, Fabricii collationem temerarie prorsus neglexit, Bonaventuram ignoravit; praefationem libri ex Fabricii editione repetitam[8]) multis mendis typographicis deformavit (inter quae vel omissiones complurium versuum sibi indulsit); codicis Parisini Regii n. 2390, quem accurate se excussisse praefat. p. 12 et *discours prélimin. s. l. chronolog. et partic. s. celle de Ptolemée*

5) qui liber cum duobus alteris efficit Bonaventurae anemologiae partem priorem.

6) Gallica lingua hanc commentationem interpretatus est Halma in libro i. s.

7) taceo autem ridiculam rationem, qua accentus et spiritus prorsus pro arbitrio tamquam ornamenti instar distribuerit.

8) cf. *discours etc.* p. XII: *un préambule, qu'on ne lit pas dans le ms. 2930 du Roi, mais qui est imprimé dans le 3e volume de la bibliothèque grecque de Fabricius.*

p. XI[9]) iactavit, unam attulit scripturam (p. 54 *notes*); quamquam ceteras paucas scripturas a contextu Petaviano et Ideleriano discrepantes aliqua certe ex parte ipsi codici deberi nunc per Laurentianum constat, ex quo Parisinus descriptus est.

Potui igitur iam in proecdosi ingentem silvam bonarum lectionum et supplementorum in contextum recipere, quamquam tunc novis subsidiis prorsus destitutus.

Nunc duorum bonorum et antiquorum codicum scripturas adhibere mihi licuit. Prior est Laurentianus plut. XXVIII n. 1, membranaceus saec. XIII (*L*), in quo f. 180 v. *πτολεμαίου φάσεις ἀπλανῶν* inscriptum legitur Ptolemaei calendarium, tamen sine prooemio. Librum in meum usum a. 1877 liberaliter excussit Fridericus Leo amicus. Alter est Vaticanus Gr. n. 1038 (*V*), saec. XI vel XII, certe omnium hactenus notorum antiquissimus, (ab Edgaro Martini accurate nuper collatus). eo magis dolendum est, quod non solum prooemium deest, ad quod addendum folia 334 v. — 336 r. vacua quidem relicta sunt, sed nunquam descripta, verum etiam calendarium, quod fol. 336 v. — 342 r. exhibetur, amplitudine codicum *BS* longe superatur. praeterea haud pauca quae potissimum ad numeros spectant rubricatori relicta sunt, sed eum etiamnunc expectant. in permultis duo hi codices ita inter se concordant ut eos paene gemellos dixeris; sed nequaquam admitti potest, Laurentianum ex Vaticano descriptum esse (haud pauca enim a rubricatore Vaticani omissa Laurentianus exhibet); ne ex archetypo quidem Vaticani dixerim Laurentianum fluxisse, cum alia ex parte notationes nonnullas praebeat Vaticanus communes cum *S*, quae tamen desunt in *L*.

Praeterea novi Laurentianum plut. XXVIII n. 47 qui tineis tantopere corrosus est ut vix multum salutis ex

9) ibi narrat codicem Regium 2393 saeculo XIIII conscriptum esse et addit: *l'écriture du texte est en caractères courants mais liés entr' eux par des crochets et surchargés d'accents, qui la rendent très peu lisible.*

eo sperare liceat. Eo magis optandum est, ut alter quidam codex reperiatur in quo prooemium insit et illae multae observationes, quas nunc cum *B* unus *S* largiatur.

Sed ne nunc quidem perfectus est liber. namque plus 30 apparitiones etiamnunc deesse docetur tabula in fine calendarii a me adscripta p. 278 sqq.; et secundum tantum huius scripti librum servatum esse ex praefatione et Suida s. v. *Πτολεμαῖος* arguo. in praefatione enim Ptolemaeus ita loquitur: *ὁπόσαι μὲν οὖν συνίστανται περὶ τὰς φάσεις τῶν ἀπλανῶν διαφοραὶ καὶ παρὰ τίνας αἰτίας, ἔτι δὲ κτλ. διὰ μακροτέρου ἐν τῇ κατ' ἰδίαν συντάξει τῇσδε τῆς πραγματείας ἐφωδεύσαμεν.* ait igitur omnia ista in singulari huius scripti libro a se iam esse exposita; atque incipere non prorsus novum scriptum sed partem solum maioris scripti ipsa particula *οὖν* in exordio posita docet. quocum bene congruit Suidas l. s. *περὶ φάσεων καὶ ἐπισημασιῶν ἀστέρων ἀπλανῶν βιβλία β'.* apparet ergo primum librum huius scripti, in quo Ptolemaeus ex artis legibus rationem apparitionum stellarum demonstraverit, deperditum esse.

Ceterum cum aliis Ptolemaei scriptis etiam hoc ad Arabes venit et ab homine docto, cui nomen Alberuni fuit, in chronologia gentium orientalium, quam Ed. Sachau a. 1878 et edidit et Anglica lingua interpretatus est, multifariam in episemasiis afferendis adhibitum est (id quod Fr. Ungerus mecum communicavit).

Iam vero hoc calendarium non legitimum sed fraudem nebulonis cuiusdam esse, Pontedera *antiquitatum Latinarum Graecarumque enarrationes atque emendationes praecipue ad veteris anni rationem attinentes* (*Patav.* 1740) in epist. 48, *de Ptolemaei libro falso hoc nomine prodito, qui inscribitur φάσις* (sic!) *ἀπλάνων* (sic!) *ἐπισημασίων* (sic!) p. 412 sq. amico persuadere studet causis tam perversis, tam praeposteris, tam deviis, ut non possit supra.[10])

10) ut duo certe exempla afferam, p. 414: *praeclare noster τῇ θ' τοῦ Παυνὶ Δημοκρίτῳ ὕδωρ ἐπὶ γῆν. timebat ne*

Duas solum non ita absurdas profert offensiones et easdem iam commemoravit Petavius not. in uranolog. p. 415 circumspecto iudicio ita locutus: „duo sunt quae falsi suspicionem movent. alterum quod aequinoctium autumnale cum Ptolemaei observatione non convenit. nam Thoth Actiaci XXVIII i. e. Septembr. XXV adscribit aequinoctium. Ptolemaeus a. Chr. 139 observavit idem aequinoctium Septembris XXVI, hora fere VII matutina, tardius uno die. congruit parapegma nostrum cum vero ingressu solis in libram anno primo Iuliano. sed huic opponi potest consensus utriusque in aequinoctio verno. nam Ptolemaeus a. Chr. CXL observavit aequinoctium Martii XXII hora I post meridiem, qui est Phamenoth Actiaci XXIII, quem in diem nostrum quoque parapegma contulit; in quo a Iuliano cardine ambo discrepant. aestivum solstitium in nostro librariorum fortasse neglegentia excidit, quod Ptolemaeus observavit anno eodem Chr. CXL Iunii XXV. hibernum porro solstitium Choeac XXVI sive Decembris XXII affigitur in parapegmate, quod a Iuliano solstitio distat. itaque prior ista ratio non satis idonea est ob quam a Ptolemaeo librum hunc abiudicemus."

Addo in codice Saviliano et Bonaventurae interpretatione aestivum solstitium primo Epiphi notari i. e. XXV Iun., itaque eodem die, quo id observavit Ptolemaeus. plenus ergo est consensus excepto XXVIII Thoth; atque ei ipsi diei non perperam adscriptum est aequinoctium autumnale, cum revera eo die acciderit anno

pluvia dum astris vacabat, sibi pallium madefaceret; ideo in humum descendere iussit; tu vide adnotationem criticam. et p. 415: *τῇ ιζʹ τοῦ Ἀθὺρ χειμῶνος ἀρχή καὶ σημαίνει Εὐδόξῳ . . . quid vero illud „Eudoxo significat"? si ab inferis excitaretur Eudoxus, diceret sibi non aquilones non frigora, sed impudentiam vecordiam mendacium significare. quod mihi sine νεκρομαντίᾳ non significant tantum, sed aperte demonstrant.* mihi quidem haec non significant sed aperte demonstrant Pontederae temeritatem haud volgarem.

137/8 p. Chr., quo tempore Ptolemaei calendarium compositum esse haud improbabiliter videtur statui posse. certe Bonaventura p. 65 hoc parapegma post librum magnae constructionis confectum esse ex Almagest. VIII 6 fin. acute arguit; ibi enim dicit Ptolemaeus nunc operam molestam de episemasiis accuratius agendi sibi seponendam esse.

„Alterum argumentum“, pergit Petavius, „sumere ex eo possumus, quod cum mensibus Aegyptiis, Augusteis et Actiacis sive fixis Iulianos haud satis exacte comparet: quasi ambo idem initium ac finem eundem habeant.“ sed neque a Ptolemaeo ista comparatio mensium Iulianorum profecta videtur et prorsus recte menses Iuliani cum Aegyptiacis conferuntur in codice Saviliano et in Bonaventurae interpretatione (in hac per totum annum).

Etiam scholion quod in fine operis additur genuinum et ab ipso Ptolemaeo scriptum esse, cuius „stylum ipsum et loquendi genus“ recte agnoscere sibi visus est Petavius p. 416, enucleatius demonstravit Boeckhius l. s. p. 229 sq.; quod uno verbo moneo, quia Idelerus l. s. p. 165 hac de re falsus est[11]); namque de re ipsa dubitari nunquam debuit.

Collegit vero Ptolemaeus observationes ad triginta stellarum ortum et occasum spectantes (quindecim quidem sunt primi ordinis, totidemque secundi) easque secundum terras in quibus factae sunt discripsit in quinque regiones, eas vero cunctas inter $+23^0$ et $+46^0$ latitudinis geographicae se continentes. revera quonam die

11) dicit l. s. *ein Scholion am Ende des Kalenders, das ihm Petavius zuschreibt, ungeachtet ausdrücklich darüber steht, dass es nicht vom Verfasser des Hemerologiums ist.* sed observatio illa *„quae sequuntur utiliter ab alio quam hemerologii scriptore notata sunt“* non ex codice sed a Petavio profecta est, qui p. 416 animadvertit ante *„ab alio“* intercidisse *„haud“* particulam, corrigendo errorem non typothetae (ut videtur), sed sui ipsius. etiam Delambrius *histoire de l'astronomie ancienne* vol. I p. 213 hoc scholium ab alio additum esse credidit.

singulae stellae in singulis regionibus Ptolemaei aetate sive ortae sint sive occiderint et Idelerus in commentatione supra allata docuit et paulo accuratius multoque commodius nunc potest computari adhibitis tabulis utilissimis Wisliceni '*Tafeln zur Bestimmung der jährlichen Auf- u. Untergänge der Gestirne*' = 'Public. d. astron. Ges.' XX (1892).

Sed hoc astronomorum est: nostrum est ea constituere quae aliqua cum probabilitate Ptolemaeum posuisse statui potest. Atque cum in proecdosi voluerim solum verba tradita talia qualia in nostris codicibus leguntur recensere, in hac altera editione Ptolemaei ipsius verba quoad eius fieri potest restituere conatus sum. quo in munere recte perpetrando summi momenti est, quod Ptolemaeus uno quoque die semper regiones ex eodem ordine profert (ὥρᾳ ιγ Ϛ″, ι̅δ̅, ι̅δ̅ Ϛ″, ι̅ε̅, ι̅ε̅ Ϛ″), neque usquam posteriorem horam ponit priore loco. hic igitur ordo ubicunque turbatus est, numerum corruptum vel ordinem inversum esse apparet. haud raro enim id quoque accidit, ut traditus horae numerus per se quidem rectus sit, sed falso loco adscriptus, ut puta primo loco, cum pertineat ad secundam tertiamve observationem. Neque minus certum est singularum stellarum observationes tenere semper debere horarum seriem sive ascendentem sive descendentem. quibus duabus normis inter se copulatis plerumque visum est sat certo iudicio verba tradita emendari posse.

Ceterum sciendum est de omnibus veterum quae ad stellarum ortus occasusve spectant observationibus optime exposuisse G. Hofmannum programmate Tergestensi a. 1879 '*über die bei den griechischen und römischen Schriftstellern erwähnten Auf- und Untergänge der Sterne*'.

Ipse vero paucis iam defungar munere dicendi de astronomis quorum parapegmata ab anonymo apud Geminum et a Ptolemaeo laudantur. neque enim huius loci est, multis edisserere de notissimis eorum,

de Metone[12]), Callippo[13]), Eudoxo[14]), Hipparcho[15]), Iulio Caesare.[16])

12) cf. Ideler chronolog. I p. 313 sq., Redlich *Meton und sein Cyclus, Hamburg 1854,* Aug. Mommsen in nov. mus. Rhen. XIII (1858) p. 428 sq. *Meton und sein Cyclus nach den Zeugnissen,* Aemil. Müller in eodem mus. XIIII (1859) p. 41 sq. *der Cyclus Metons und seine Geltung zu Athen,* Ad. Schmidt, *gr. Chronol.* (1888) p. 389 sqq., 429 sqq., 468 sqq., 506 sqq.; Fr. Unger, *Zeitrechn. der Gr. u. Röm.* in Mülleri comp. litt. ant. I² p. 737 sqq.

13) cf. Ideler *astronom. Beobacht.* p. 214 sq., chronol. I p. 344 sq., Krische theologumena p. 288 sq., Boeckh *Sonnenkreise* p. 146 sq., 399 sq., Ad. Schmidt l. s. p. 496 sqq. ceterum notum est in cyclum Metoneum et Callippium nuper accuratius inquisitum esse a Boeckhio *zur Geschichte der Mondcyklen der Hellenen* 1855 et *epigraphisch-chronolog. Studien* 1857, ab Augusto Mommsen *Beiträge zur griechischen Zeitrechnung* in Iahni annal. philolog. supplement. I p. 201 sq., *die alte Chronologie* in philologo Gotting. XII p. 329 sq., in nov. mus. Rhen. XIII l. s. et p. 497 sq. *Reformen und Neubildungen der Kalender bei den Alten,* ab Aemilio Müller in diar. antiqu. XV (1857) num. 56 sq. et in nov. mus. Rhen. l. s.; denique ab Ad. Schmidt l. s. p. 465 sqq. et a Fr. Unger I² p. 740 sqq.

14) quode post Idelerum *über Eudoxus* in actis academ. Berolin. 1828 et 1830 et Letronnium *sur les écrits et les travaux d'Eudoxe* in *journal des savants* 1841 p. 742 sq. Boeckhius egregie disputavit *Sonnenkreise* p. 141 sq., p. 393 sq. et p. 11 sq., quo loco Brandesii opiniones in Iahni annal. vol. XIII (1847) p. 199 sq. prolatas de geographo Eudoxo refellit; atque multis praeterea locis per totum librum de eius doctrina egit. cf. etiam Krische theologum. p. 289 sq., Mommsen chronol. Rom. p. 56 sq., Lepsius in act. acad. Berol. 1859 *über einige Berührungspunkte der ägyptischen, griechischen und römischen Chronologie,* in tertia parte *über die Epoche und die Schaltung des Eudoxischen Kalenders* p. 61 sq., Ad. Schmidt p. 416 sqq., 496 sq.; Eudoxi reliquias apud Hipparchum obvias collegit Maass, Aratea p. 281 sqq.; cf. etiam Thiel, *Gr. Stud. Lipsius gewidm.* p. 179 sqq.

15) cf. Ideler *astronom. Beobacht.* p. 219 sq., chronol. I p. 352 sq.; Fr. Unger l. s. p. 737; Susemihl, hist. litt. Alex. I p. 765 sqq.

16) cf. Ideler chronol. II p. 117 sq., Mommsen chronol. Rom. p. 74 sq., 276 sq., 309 sq., Boeckh *Sonnenkreise* p. 340 sq.; eius fragmenta quae huc pertinent collegit Nipperdey in Caesaris edit. mai. p. 757 sqq. ceterum Ungerus chronol. p. 745 adn. 2

Democriti παράπηγμα in catalogo librorum philosophi apud Laertium Diogenem VIIII 48 ponitur post librum cui inscribitur μέγας ἐνιαυτὸς ἢ ἀστρονομίη, cui libro parapegma adnexum fuisse[17]) ut per se probabile est, ita stabilitur eo, quod a scholiasta Apollonii Rhodii II v. 1098 p. 442, 27 Keil. laudantur Democriti ἐν τῷ περὶ ἀστρονομίας animadversiones, quae non possunt esse petitae nisi ex calendario ipso.[18]) fragmenta eius calendarii praeterea a Gemino et Ptolemaeo servata sunt et habes ea sat neglegenter collecta a Mullachio Democriti fragm. p. 231—235, melius ab Ad. Schmidt l. s. p. 475 sq. accesserunt interim paucae eae animadversiones, quae in papyro Eudoxi colum. XXII et XXIII leguntur (cf. Boeckh. *Sonnenkreise* p. 89, 91 sq., 197 sq. Unger[2] p. 736 sq.).

Euctemonem[19]) autem Metonis socium fuisse per complures testes constat, Hipparchum ap. Ptolemaeum almag. III 2 p. 162 Halm. (τὴν ὑπὸ τῶν περὶ Μέτωνά τε καὶ Εὐκτήμονα τετηρημένην θερινὴν τροπήν), Ammian. Marcellin. XXVI 1, Callippum teste Eudemo ap. Simplic. in Aristot. de caelo p. 500[a], Ptolemaeum in fine calendarii (p. 275, 8). idem laudatur ab Avieno de ora maritima v. 47 „popularis urbis Atticae" (cf. v. 350), v. 337

ea quae Caesari a Ptolemaeo adscribuntur aut ex alio dictatoris scripto eoque antiquiore aut ab alio cognomine scriptore profecta esse statuit.

17) nullam tamen video idoneam causam, cur cum Salmasio ad Solin. p. 524 ed. Vltrai. scripturam, quam omnes libri (etiam optimi ei quos ipse excussi Laurentiani et Burbonicus) tuentur, mutemus conflando duorum librorum titulos hoc modo: μέγας ἐνιαυτὸς ἢ ἀστρονομίης παράπηγμα, quod ipsum et contra Graecitatem et contra rationem pugnet.

18) legitur ibi: κατὰ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ ἀρκτούρου σφοδροὶ καταχέονται ὄμβροι, ὥς φησι Δημόκριτος ἐν τῷ περὶ ἀστρονομίας. ceterum iudicio meo subscripsit Ad. Schmidt (p. 472), qui 426 sq. egit de eius cyclo, p. 471 sqq. de eius episemasiis.

19) inter eos qui *siderum ortus et occasus tempestatumque significatus* observarunt laudatur a Vitruvio VIIII 4, inter enneadecaëteridos inventores a Gemino isag. c. VI p. 37 *D.*

contra civis Amphipolitanus[20]); quocum bene congruit quod Ptolemaeus l. s. Metonem et Euctemonem Athenis, in cycladibus, in Macedonia et Thracia observationes astronomicas instituisse dicit, neque Metonem scimus in eas terras profectum esse (cf. Redlich l. s. p. 26). videntur autem in calendario conficiendo Euctemonis partes primariae fuisse; ipsius enim persaepe in parapegmatis laudantur notationes, perraro Metonis. Euctemoneae reliquiae, quas debemus Gemino, Ptolemaeo, denique papyro Eudoxi col. XXII et XXIII aliqua ex parte collectae sunt apud Boeckhium l. s. p. 405 sq. (cf. praeterea p. 80 sq., p. 95 sq., p. XIII) et plenius apud Ad. Schmidtium l. s. p. 477 sq.

Philippum vero a Vitruvio (VIIII 4), a Plinio (XVIII 312 et in indice auctorum eiusdem libri), a Gemino (isagog. cap. XII p. 47 Halm.), ab Hipparcho (in Arat. phaenom. I 3, 10 p. 28, 13 Manit.), ab Ioanne Lydo (de mensibus IIII 13 et 43), persaepe denique in Ptolemaei calendario tamquam auctorem parapegmatis laudatum eundem esse atque Opuntium illum clarissimum mathematicum Platonisque discipulum satis certa statuit coniectura Boeckhius *Sonnenkreise* p. 35 sq. convenit enim inter illos et de genere studiorum in litteris positorum et de aetate, cum astronomum ante Callippum vixisse probabile sit, et de patria; namque Ptolemaeus de apparit. p. 275 v. 7 Philippum ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Λοκρίδι καὶ Φωκίδι siderum ortus et occasus observasse dicit.

Conon deinde mathematicus Samius genere[21]), Archi-

20) quamobcausam Osannus in diar. antiquit. 1841 p. 640 suspicatur eum participem fuisse coloniae, quae a. 436 a. Chr. ab Atheniensibus Amphipolin deducta est. quam coniecturam comprobavit et accuratius explanavit Müllenhoff, *deutsche Alterthumskunde* I p. 206.

21) Apollonius conic. sect. lib. IIII init. Κόνων ὁ Σάμιος ἐξέθηκε κτλ. schol. Bernens. in Vergil. bucol. III 40 (I p. 16 ed. Müller. Rudolphop. 1847). *Conon Samius genere mathematicus stellarum peritissimus velut quidam, Alexandrinus.* Probus in Vergil. bucol. III 40 (p. 8, 15 ed. Keil). *Conon Samius*

medi fuit amicus, ad quem ille assoleret mittere scripta sua mathematica. quod testatur ipse Archimedes de quadrat. parabol. p. 294, 1 ed. Heib. his verbis: *ἀκούσας Κόνωνα μὲν τετελευτηκέναι, ὃς ἦν ἔτι βλέπων ἡμῖν ἐν φιλίᾳ* et: *τοῦ μὲν τετελευτηκότος εἵνεκεν ἐλυπήθημες ὡς καὶ φίλου τοῦ ἀνδρὸς γενομένου καὶ ἐν τοῖς μαθημάτεσσι θαυμαστοῦ τινος*; atque addit, se mittere nunc hoc scriptum mathematicum ad Dositheum, *ὡς Κόνωνι γράφειν ἐγνωκότες ἦμεν*[22]). unde eum praeceptorem quoque Archimedis fuisse, non recte effecit Probus l. s. instituit autem Conon observationes astronomicas in Sicilia et Italia (Ptolem. de appar. p. 275 v. 10)[23]), eiusque multae episemasiae exhibentur in Ptolemaei parapegmate. postea Alexandriae vixit, atque ibi procul dubio *defectiones solis servatas ab Aegyptiis collegit* (Senec. l. s.).

Videtur etiam a rege Ptolemaeo tertio Euergete I in aulicorum numerum[24]) receptus esse; certe hominem aulae ingenio admodum accommodatum eum fuisse, docetur historia notissima quae de crine Berenices narratur. Berenices enim crines cum in templo Veneris Zephyritidis post felicem Ptolemaei victoris ex Asia reditum (c. a. 243 a. Chr.) ex voto dedicati essent sed postero die disparuissent, Conon *cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera videri*

mathematicus, Aegyptius natione (rectius dixisset *Aegyptius mathematicus, Samius natione*). cum temporum computo instituto appareat, Cononem Samium mathematicum Aristarchi Samii mathematici aequalem fuisse iuniorem, iam enascitur suspitio, Cononem Aristarchi disciplina usum esse.

22) cf. Archimed. de sphaer. et cylindr. II p. 188, 2 Heib. prooem. *τῶν προβλημάτων τὰς ἀποδείξεις, ὧν αὐτὸς τὰς προτάσεις ἀπέστειλα Κόνωνι*, id. de lin. spir. p. 2, 2 *τῶν ποτὶ Κόνωνα ἀποσταλέντων θεωρημάτων.*

23) inde profectus tamen non ita probabiliter coniecit Boeckhius l. s. p. 30 hunc eundem esse atque Cononem, quode loquitur Servius in Aen. VII 738: *Conon in eo libro quem de Italia scripsit quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiae venisse dicit etc.*

24) cf. Probus l. s. *Conon . . Ptolemaeo adsiduus.* schol. Bernens. l. s. *Conon . . qui cum Ptolemaeo fuit.*

conlocatum et quasdam vacuas a figura septem stellas ostendit, quas esse crinem fingeret.[25]) quae valde placuerunt Alexandrinis hominibus aulicis ita ut vel Callimachus de ea re amplum et magnificum componeret carmen[26]), cuius duo qui ad Cononem spectant versus (fr. 34 Schn.) servati sunt in scholiis Arati v. 146 hice:

ἦ με[27]) Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.[28])

quos ita interpretatur Catullus LXVI v. 7 sq.:

idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
e Beroniceo vertice caesariem
fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
levia protendens brachia pollicitast.[29])

atque poetis Augusteae aetatis per Callimachum, quem mirum quantum in delitiis haberent, Conon ita innotuit, ut eum hominem non paucis astronomis et mathematicis Graecis inferiorem quasi exemplar astronomiae et astrologiae Graecae proponerent, velut Vergilius eclog. III 40 et Propertius V 1, 78. erat ceteroquin *diligens et ipse inquisitor* (Seneca quaest. natur. VII 3, 3) neque volgaribus

25) sic hanc narratiunculam exhibet Hyginus poet. astron. II 24, breviter eam tangit Hesych. v. Βερενίκης πλόκαμος, explicatius tradit Nonnus abbas in enarrat. fabul. in Gregor. Nazianz. stelieut. II n. 2 (in Westermanni mythogr. p. 363, 26). cf. etiam Achilles Tatius isag. in Arat. p. 134 C. D. τοῦτον τὸν πλόκαμον οὐκ οἶδεν Ἄρατος, παρετήρησε δὲ Κόνων ὁ μαθηματικός.

26) vide Schneideri Callimachea II p. 344 sqq.

27) ἦμε habet cod. Matritensis.

28) pentametrum effecit Muretus in Catulli comment. p. 101 e tradito hexametro βόστρυχον, ὅν τ' ἄρα κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖσιν.

29) atque Catullum iterum imitatus est anonymus poeta epigrammatis n. 1565 in antholog. Latin. v. 8 sq.

E Beronicaeo detonsum vertice crinem
rettulit esuriens Graecus in astra Conon.

iam igitur mathematicus clarus in „Graeculum esurientem“ (Iuvenal. III 78) transformatus est.

laudibus saepe[30]) eius acumen extollit Archimedes. scriptorum eius unum commemoratur mathematicum de conorum sectionibus compositum[31]), alterum de astrologia septem libros complexum.[32]) mortuum denique Cononem esse haud ita multo post annum 243 (quo anno Berenices crinem in astera retulit) inde concludas quod Archimedes, qui ipse obiit anno 212 a. Chr., de lin. spir. p. 2, 4 sq. ait: *μετὰ δὲ Κόνωνος τελευτὰν πολλῶν ἐτέων ἐπιγεγενημένων.*

Cononis amicus fuit Dositheus[33]), *cuius maxime octaeteris Eudoxi inscribitur* (Censorin. c. 18 p. 53, 5 Iahn.). atque teste Ptolemaeo p. 275 v. 7 in insula Co[34]) instituit astronomicas et meteorologicas observationes, ex quibus praeter multas a Pseudo-Gemino et Ptolemaeo traditas duas referunt Plinius XVIII 312 et Lydus de mensib. IIII 83. ceterum ita fama inclaruit, ut Archimedes dignum eum haberet ad quem post Cononis mortem

30) Archimedes de helicibus prooem. p. 2, 2 Heib. *Κόνων μὲν οὐχ ἱκανὸν λαβὼν ἐς τὰν μάστευσιν αὐτῶν* (problematum Archimedis) *χρόνον μετάλλαξεν τὸν βίον καὶ ἄδηλα ἐποίησεν· καὶ ταῦτα πάντα εὑρὼν καὶ ἄλλα πολλὰ ἐξευρὼν καὶ ἐπὶ τὸ πλεῖον προάγαγε γεωμετρίαν. ἐπιστάμεθα γὰρ ὑπάρξουσαν αὐτῷ σύνεσιν οὐ τὰν τυχοῦσαν περὶ τὸ μάθημα καὶ φιλοπονίαν ὑπερβάλλουσαν.* idem de sphaer. et cylind. lib. I prooem. p. 6, 3 H. *ὤφειλε μὲν οὖν Κόνωνος ἔτι ζῶντος ἐκδίδοσθαι ταῦτα. τῆνον γὰρ ὑπολαμβάνομέν που μάλιστα δύνασθαι κατανοῆσαι ταῦτα καὶ τὴν ἁρμόζουσαν ὑπὲρ αὐτῶν ἀπόφανσιν ποιήσασθαι.*

31) Apollonius Pergaeus conic. sect. lib. IIII prooem. *Κόνων ὁ Σάμιος ἐξέθηκε* (de conicis sectionibus) *πρὸς Θρασυδαῖον οὐκ ὀρθῶς ἐν ταῖς ἀποδείξεσιν ἀναστραφείς.*

32) Probus l. s. *libros de astrologia VII reliquit.* praeterea cf. Papp. IV 21 p. 234 Hultsch. *τὸ ἐπὶ τῆς ἕλικος τῆς ἐν ἐπιπέδῳ γραφομένης θεώρημα προὔτεινε μὲν Κόνων ὁ Σάμιος γεωμέτρης, ἀπέδειξεν δὲ Ἀρχιμήδης* (de lin. spir. p. 2 sq. ed. Heib.).

33) cf. Archimedes de quadrat. parab. p. 294, 1 Heib. (ad. Dositheum) *ἀκούσας . . τὶν δὲ Κόνωνος γνώριμον γεγενῆσθαι.*

34) ita enim (*ἐν Κῷ* vel *ἐν Κῷ νήσῳ*) ex interpretatione Bonaventurae legendum est pro *ἐν Κολωνείᾳ*, quod mirum in modum torsit Brandesium in Iahni annal. suppl. XIII p. 204, Osannum anecd. Roman. p. 320, Boeckhium *Sonnenkreise* p. 31 sq. ceterum eum etiam Aegyptiacas apparitiones attulisse constat per Gemini (p. 181, 19) testimonium.

mitteret scripta sua mathematica, librum unum de quadratura paraboles[35]), duos de sphaero et cylindro, unum de helicibus, unum denique de conoidibus et sphaeroidibus.[36]) aetas igitur quo floruerit Dositheus hac ratione, quae inter eum Cononemque et Archimedem intercesserit, aliqua ex parte certis terminis circumscripta est. idem vero astronomus num fuerit atque Dositheus Pelusiotes[37]), qui in libro *πρὸς Διόδωρον* de Arati vita quaedam narravit, ego non audeo diiudicare.[38])

Restat Metrodorus qui pariter atque Conon in Italia et Sicilia observasse dicitur a Ptolemaeo p. 275 v. 10. eius parapegmatis notitia debetur et Ptolemaeo et Lydo de mensib. IIII c. 43, c. 79, c. 89, de ostent. c. 71. praeterea idem Lydus de mensib. IIII c. 36 haec narrat: *ταύτην* (idus Martias) *τὴν ἡμέραν ὁ Μητρόδωρος κακὴν παραδίδωσι.* unde efficitur Metrodorum non solum astronomiae verum etiam dierum fastorum et nefastorum in calendario rationem habuisse atque eum post Caesarem vixisse. namque post Caesaris necem placuit eum diem *ἀποφράδα* esse ne unquam idibus Martiis senatus ageretur.[39]) atque hac ratiocinatione nixus lubenter credo

35) cf. Archimedes l. s. *ἀκούσας, Κόνωνα μὲν τελευτηκέναι, τὶν δὲ Κόνωνος γνώριμον γεγενῆσθαι καὶ γεωμετρίας οἰκεῖον εἶμεν . . ἐπροχειριξάμεθα ἀποστεῖλαί τοι γράψαντες.*

36) cf. Archimedes in prooemiis horum librorum.

37) vita Arati p. 58, 24 ed. Westermann. *Δωσίθεος ὁ Πηλουσιακὸς ἐν τῷ πρὸς Διόδωρον ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν* (Aratum) *καὶ πρὸς Ἀντίοχον τὸν Σελεύκου καὶ διατρῖψαι παρ' αὐτῷ χρόνον ἱκανόν.* ceterum *Πηλουσιακὸς* vel *Πηλούσιος* coni. cum Osanno Boeckhius l. s. p. 30, codices exhibent *πολιτικὸς* (quod defendit Maass Aratea p. 159), *pelusinus* interpret. latin. ap. Breysigium in programm. Erfurt. 1870, *Ποντικὸς* coni. Hecker in philolog. V p. 421 et C. Müller frgm. hist. Gr. IIII p. 400.

38) id quod affirmaverunt Osannus l. s., Boeckhius l. s. p. 28, Susemihl hist. litt. Alex. I p. 722, praefracte negat Maass l. s.

39) videtur id placitum ex eis decretis triumvirorum fuisse, quae Augustus Octavianus a. u. 726 antiquavit (cf. Merkel proleg. Ovid. fast. p. VII); qua tamen re ad aetatem Metrodori arctioribus finibus determinandam uti non conor. — Minus

astronomum non alium esse atque Metrodorum philosophum a Servio in Vergil. georgic. I 230[40]) astronomicarum animadversionum auctorem laudatum qui aliquantum post Vergilium scripsit. incertum tamen videtur, num idem de Clanio flumine Campaniae et Anchisae aedibus Troianis in partes vocetur a Probo in Vergil. georg. II 224 p. 50, 22 ed. Keil. et in schol. Veronens. in Vergil. Aen. II 299 p. 87, 17. perperam vero cum hoc Metrodoro confuderunt Lampsacenum clarissimum Epicureum Roether adn. in Lyd. p. 179, Teuber de Servii vita et comment. I p. 50 alii; Lampsacenus enim procul dubio laudatur a Philargyrio in Vergil. georg. II 336.

Ceterum de ratione et institutione Graecorum parapegmatum in universum disserentem adi Idelerum chronol. I p. 309 sq. 325 sq. 346 sq. 353 sq. et Ad. Schmidtium, graec. chronol. p. 470 sq. unum est, quod hic breviter tangam: iam primos qui talia calendaria conderent non solum addidisse prognostica tempestatis (*ἐπισημασίας*), quod praedictionis genus sat certum veteribus visum est[41]), sed etiam animadversiones quasdam,

igitur accurate scripsit ipse Lydus, postquam Eudoxum Democritum Varronem Hipparchum Metrodorumque enumeravit, *καὶ μετ' αὐτοὺς ὁ Καῖσαρ* (sic enim cum codice *R* legendum esse neque cum *C* *μετ' αὐτοῦ* vel inde patet, quod Caesar non potuit adiungi homini obscuro).

40) Servius l. s. *adeo ut sequentem rationem zonarum Metrodorus philosophus vix quinque expresserit libris insertis tam astronomiae quam geometriae partibus, sine cuius lineis haud facile deprehenditur ratio. idem etiam Metrodorus asserit, frustra culpari a plerisque Vergilium quasi ignarum astrologiae, cum eum constet operis lege compulsum ut quaedam excerperet quae obscura videntur ideo, quia a naturali ordine sunt remota.*

41) cf. Diodor. Sicul. XII 36. *δοκεῖ δὲ ὁ ἀνὴρ οὗτος* (Meton) *ἐν τῇ προρρήσει καὶ προγραφῇ ταύτῃ θαυμαστῶς ἐπιτετευχέναι. τὰ γὰρ ἄστρα τήν τε κίνησιν καὶ τὰς ἐπισημασίας ποιεῖται συμφώνως τῇ γραφῇ.* pariter Columella I praef. Metonis providentiam in motibus astrorum ventorumque laudat. neque negari potest, nulla in terra tam stricto ordine teneri vices easdem non modo ventorum sed etiam tempestatum ventis ibi semper effectarum: cf. Ross *griech. Inselr.* II p. 27 n. 6.

quae ad civiles usus spectarent. id quod luculento testimonio de Metone affirmat schol. Arati v. 752: *οἱ περὶ* (sic corr. pro *μετὰ* Ideler l. s. p. 316 not. 4) *Μέτωνα ἀστρονόμοι καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν περὶ τῶν τοῦ ἡλίου περιφορῶν ἐννεακαιδεκαετηρίδων, ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοιόσδε ἔσται χειμὼν καὶ τοιόνδε ἔαρ καὶ τοιόνδε θέρος καὶ τοιόνδε φθινόπωρον καὶ τοιοίδε ἄνεμοι καὶ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώποις.* quas *βιωφελεῖς χρείας* cum res navales tum rusticas fuisse et sponte patet et pauca quae praecipue in Pseudo-Gemineo calendario adsunt vestigia docent, neque abhorret usus calendariorum Romanorum rusticorum in lapidibus incisorum, quae quidem omnia collecta habes a Theodoro Mommsen in primo volumine inscriptionum Latinarum. hos igitur agricolarum usui adaptatos „Eudoxi et Metonis antiquorumque fastus astrologorum" etiam ab Italis rusticis adhibitos esse profecto non est cur mireris.

Ultimo igitur loco composui quae ex his Graecorum parapegmatis servata sunt. Inter ea primum locum obtinet hemerologium, quod Aetius Amidenus medicus saeculi sexti in primi tetrabibli sui libro tertio exhibuit memor praecepti sani, quod dedit dux atque princeps artis medicinae Hippocrates 'de aere, aquis, locis' cap. II vol. I p. 34, 24 ed. Kühlewein. *εἰ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, εἰ μετασταίη τῆς γνώμης, μάθοι ἄν, ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον· ἅμα γὰρ τῇσιν ὥρῃσι καὶ αἱ νοῦσοι [καὶ αἱ κοιλίαι] μεταβάλλουσιν τοῖσιν ἀνθρώποισιν.* Inter eius calendarium, quale ad vitae usum accommodatum ipsius aetate viguisse non sine causa conicias, et Clodii Tusci Columellaeque hemerologium certasque Graecorum observationes quas Plinius (v. infra) composuit, arctiorem quendam intercedere conexum, in adnotatione allatis testimoniis comprobare studui.

Minoris pretii est Quinctiliorum calendarium breve ad agricolarum usum destinatum quod servatum est in

Geoponicorum Graecorum collectione. Ceterum si quem delectat hariolationes interdum non sine ingenio, semper sine arte et ratione iactas legere, Pontedera antiqu. p. 182 sq. et p. 245 sq. Aetii et Quinctiliorum observationes astronomicas ad Chaldaeos referre conatus est.

Sequuntur excerpta ex Lydi libro de mensibus pauca sed gravissima ea quae secundum Graecos astronomos et Varronem de siderum ortu et occasu et episemasiis adnotata sunt.

Eudoxi deinde papyrus, ex quo nonnulla quae ad rem faciant postea excerpsi, adservatur Parisiis in museo *du Louvre.* iam anno 1839 Letronnius[42]), qui identidem notationes quasdam ex eo petiit, in eo se esse, ut papyrum ederet affirmavit. dein postquam Letronnius morte praematura abreptus est, provincia edendi omnes papyros Parisinos Brunetio de Presle demandata est, qui a. 1855 hunc papyrum exprimendum curavit in parte secunda voluminis XVIII libri utilissimi *notices et extraits de la bibliothèque du Roi etc.* mihi in proecdosi, cum tunc ipsum volumen nondum prodierit, per Theodorum Mommsen licuit, illo exemplari uti, quod ipsi Brunetius ante aliquot annos miserat. nunc potui adhibere editionem multo accuratiorem, quam Fr. Blassius 1887 curavit longiore commentatione praemissa.

Eudoxi quidem artem hic exhiberi dicit acrostichon duodecim versuum, qui medio in folio verso papyri leguntur, horum:

Ἐν τῷδε δείξω πᾶσιν ἐκμαθεῖν σοφὴν
Ὑμῖν πόλου σύνταξιν ἐν βραχεῖ λόγῳ
Δοὺς τῆσδε τέχνης εἰδέναι σαφῆ πέρι.
Οὐδεὶς γάρ ἐστιν ἐνδεὴς γνώμης, ὅτῳ
Ξένον φανεῖται, τῷδ᾽ ἐὰν ξυνῇ καλῶς.
Ὁ μὲν στίχος μείς ἐστι, γράμμα δ᾽ ἡμέρα

42) in dissertatione *sur l'origine du zodiaque Grec et s. plus. points de l'astronomie Grecque* etc., quae inserta est eius anni diariis *journal des savants.*

Ὑμῖν, ἀριθμὸν δ' ἴσον ἔχει τὰ γράμματα
Ταῖς ἡμέραισιν, ἃς ἄγει μέγας χρόνος,
Ἐνιαύσιον βροτοῖσι περίοδον τ' ἔχει
Χρόνοις διοικῶν ἀστέρων γνωρίσματα.
Νικᾷ δὲ τούτων οὐθὲν ἕτερον, ἀλλ' ἀεὶ
Ἥκει τὰ πάντα εἰς ταὐτὸν ὅταν ἔλθῃ χρόνος.[43])

horum enim versuum litteris initialibus titulum „*Εὐδόξου τέχνη*“ effici, iam Letronnius (*notices etc.* p. 28) perspexit. Eudoxi tamen non esse hanc dissertationem vel inde arguitur, quod Callippus in ea interdum laudatur; sed ne in eis quidem locis, in quibus nullus alius astronomus commemoratur, credi potest perhiberi germanas Eudoxi sententias, immo plane plerumque et aperte demonstrari, disputationem superstructam quidem esse eius opinionibus verum propagatis eis et quam maxime confusis cum Callippeis.

Atque habemus sane — ut docuit Blassius edit. suae p. 6 sq. — magistrum ignotum, qui disciplinam astronomicam secundum Eudoxi placita tradidit et in fine appendicem quandam adiecit quae plane ab illo aliena est et continet ea omnia, quae infra excerpsi. sed discipulus dictata satis indiligenter enotavit; nam scatet hic libellus sexcentis erroribus ita ut subscribendum sit iudicio Mommseni chronol. p. 200 not. 8: *dies eben so alte als wunderlich verwirrte, einem sauber geschriebenen aber von Missverständnissen und Verkehrtheiten wimmelnden Collegienheft nicht unähnliche Schriftstück.* extant vero in folio verso papyri acta compluria, quae post dissertatio-

43) v. 5 *τῷ δὲ ἂν* codex, *τῷ δ' ἐὰν* correxit in margine exemplaris Mommsenani manus quaedam, quam Boeckhii esse opinor; v. 12 quae supra scripsi restituit Blassius pro *πάντα εἰς τὸ αὐτὸ ὅταν ἔλθῃ ὁ χρόνος.* dicit igitur scriptor singulos versus esse menses, singulas litteras dies. atque revera 12 esse versus et unum quemque versum continere 30 litteras, ultimum 35, itaque litteris horum 12 versuum annum solarem 12 mensium, 365 dierum (*μέγαν χρόνον*) repraesentari, vidit Brunetius *notices etc.* p. 45.

nem scripta esse appareat. eorum primum incipit: Ἡρώδης Θέωνι. Ἔρρωται μὲν βασιλεὺς Πτολεμαῖος καὶ βασιλεὺς Πτολεμαῖος ὁ ἀδελφὸς [καὶ] βασίλισσα Κλεοπάτρα ἡ ἀδελφὴ καὶ τὰ τέκνα et datum est mense Mesori anno VI. iam cum Ptolemaei duo fratres reges non esse possint nisi Philometor et Euergetes II aut Soter II et Alexander I, Letronnius *notices etc.* p. 30 sq. de altero pari cogitavit. contra Brunetius p. 32 sq. evicit, prius par dici, i. e. datam eam epistolam esse anno 165 a. Chr.; itaque ante annum 165 dissertationem astronomicam compositam esse consectaneum est. etiam arctioribus finibus tempus circumscripsit Boeckhius *Sonnenkreise* p. 197 sq. nisus verbis Εὐδόξῳ, Δημοκρίτῳ χειμεριναὶ τροπαὶ Ἀθὺρ ὁτὲ μὲν $\overline{K}$, ὁτὲ δὲ $\overline{I\Theta}$ (colum. XXII v. 516). namque docuit brumam ex calendario Aegyptiaco die 19. mensis Athyr annis 197—194, die 20. eiusdem mensis annis 193—190 accidisse, et inde collegit, circa annos 193—190 „Eudoxi artem" conscriptam esse.[44]).

Ultimo loco — ne quid deesset quod ad calendaria Graeca aliqua ex parte pertineret — congessi, quae in Varronis[45]) et Columellae de re rustica libris[46]), apud Polemonem Silvium et Florentinum (in Geoponicis Graecis I 1) ex calendario rustico hausta esse videntur Romano eo quidem, sed Graecae prosapiae. Polemonem enim Silvium, qui cum anno p. Chr. 448/9 describeret laterculum notissimum Furii Dionysii Philocali (a. 354), multa quidem omisit, sed praeter alia ventorum tempestatum similiumque indicationes addidit, haec omnia statuo non ex ipso Columella hausisse, sed ex simili calen-

44) cf. etiam Vincent 'Revue archéolog.' n. ser. VI (1865) p. 160 sq.

45) de Varronis calendario sagaciter egit Unger l. s. p. 73, quamquam me non prorsus habet consentientem.

46) ad ea quae huc pertinent recensenda potui adhibere Sangermanensem codicem, cuius accuratam collationem Häussner Badensis rector gymnasii ipse instituit mihique liberaliter utendum concessit.

dario rustico. quamquam enim concordant plura, sunt tamen non solum quae distent, sed etiam quae plane apud Columellam desint (vide 26. Mart., 8. April., 27. Iun., 22. et 24. Nov.): quae omnia vix crediderim posse cum Mommseno CIL 1^2 p. 255 ad breviatoris incuriam sive librariorum neglegentiam referri.

Postremo Pliniana quoque excerpta adicere idoneum visum est, cum eorum longe maxima pars ad Graeca calendaria redeat neque secludere volui pauca ea quae ad Caesarem ipsum revocanda esse constet.

Ad omnia vero calendaria recognoscenda socius fere operis mihi extitit FRIDERICUS UNGERUS, Wirceburgensis, qui non solum aliquammultas egregias coniecturas et antea protulerat et nunc mecum liberaliter communicavit, sed etiam singulos dum prelum exercent quaterniones perlustravit et haud pauca quae ad verba recte sive intellegenda sive diiudicanda facerent insigni qua pollet in his potissimum rebus doctrina adnotavit.

Ut facile stellarum singularum apparitiones quae apud Ptolemaeum extant uno conspectu comprehendi possent, in fine eius calendarii omnes composui discriptas secundum duo primae secundaeque magnitudinis genera et ex ordine eo, quem ipse astronomus in eis enarrandis tenuit. ceterorum vero calendariorum apparitiones ex alphabetico nominum ordine subieci in fine totius editionis. Praeterea gravissimas quasdam quae ad calendaria spectant observationes subieci et auctorum quotquot in calendariis laudantur testimonia suis cuique locis adscriptis congessi. quibus rebus omnibus spero fore ut paulo magis quam olim lectorum, si qui erunt, usui consultum sit.

ADDENDVM

Ad p. 16, 8 laudandum fuit Lydiani de mensibus libri fragmentum quod edidit Boissonade An. Gr. I p. 416 sqq., Wünschius qui in eo est ut totum librum denuo strenue recenseat et hoc fragmentum repperit in cod. Paris. 1630 f. 82 v., in editione sua exhibebit III 11.

IOANNIS LAVRENTII LYDI

LIBER

DE OSTENTIS

A = cod. bibliothecae Angelicae
C = cod. Caseolinus, nunc Regius Parisinus (supplem. cat. cod. Gr. n. 257) saec. VIIII membr.
D = cod. Matrit. bibl. pecul. reg. n. 41 saec. XII membr.
F = cod. Laurentianus plut. 28 n. 34 saec. XI membr.
G = cod. Laurentianus plut. 28 n. 14 saec. XIIII
L = cod. Laurentianus plut. 80 n. 23 saec. XV chartac.
M = cod. Laurentianus plut. 58 n. 13 membr. (scriptus ab Ioanne Rhoso anno 1491)
N = cod. Laurentianus plut. 31 n. 37 saec. XIIII chartac.
O = cod. Oxoniensis Canonic. 41[a]
P = cod. Vaticanus Palatinus n. 312 saec. XV chartac.
R = cod. Regius Parisinus n. 2381 saec. XIIII
S = cod. Regius Parisinus n. 1991
T = cod. Paris. suppl. Gr. 20 (descr. e cod. Regio 1113)
V = cod. Venetus Marcianus CCCXXIIII
Leon. = Nicolai Leoniceni Thomaei interpret. lat. cap. 59—70 ('Claudii Ptolemaei inerrantium stellarum significationes')
H. = Carolus Benedictus Hase

ΙΩΑΝΝΟΥ ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΥ ΛΥΔΟΥ
ΠΕΡΙ ΔΙΟΣΗΜΕΙΩΝ

PROOEMIVM

Οἱ τῶν Ἑβραίων λόγιοι τὸν περὶ προγνώσεως λόγον διχῆ τέμνουσιν εἰς σημεῖα καὶ τέρατα· καὶ σημεῖα μὲν εἶναι βούλονται τὰ ἐν μετεώροις συνιστάμενα, τέρατα δὲ τὰ ἐπὶ γῆς ὡς παρὰ φύσιν φαινόμενα, ὁποῖον ἐκεῖνο τὸ ἐπὶ τῆς καλουμένης τῶν Ἑβραίων ἐξόδου ἀναφερόμενον περὶ Μωϋσέως αὐτοῦ· ʻκαὶ εἶδεν ὅτι ἡ βάτος καίεται, ἡ δὲ βάτος οὐ κατεκαίετοʼ (Exod. 3, 2), *καὶ πάλιν· ʻἔρριψε Μωϋσῆς τὴν ῥάβδον ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ἐγένετο ὄφιςʼ* (Exod. 4, 3), *καὶ πάλιν· ʻεἰσήνεγκε Μωϋσῆς τὴν χεῖρα εἰς τὸν κόλπον αὐτοῦ καὶ ἐγένετο ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὡσεὶ χιώνʼ* (Exod. 4, 6), *εἶτα αὖθις· ʻκαὶ εἶπεν ὁ θεὸς πρὸς Μωϋσῆν· λήψῃ ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ποταμοῦ ἐπὶ τὸ ξηρὸν καὶ ἔσται αἷμαʼ* (Exod. 4, 9)·

1. 2 TITVLVS in *C* deest cum initio libri; neque inscr. generalis in ullo alio codice legitur; sed vide testimonium Photii (bibl. cod. 180 p. 125^a 31 et 33) et Suidae v. *Ἰωάννης Φιλαδελφεὺς Λυδός* ‖ **4 — p. 5, 2** petita sunt ex Lydi de mensibus IV 97. ultimum nimirum hoc quod legitur inter istius libri excerpta Barberina (cod. 177) videtur iam fluxisse ex initio libri qui istum sequebatur i. e. de ostentis: vide Wünschium in 'Byz. Zeitschr.' V p. 412 ‖ **9** *Μωσέως* Paris. 3084

εἶτα ὑποβάς· ‘καὶ εἶπε κύριος πρὸς Μωϋσῆν· ἐὰν λαλήσῃ Φαραὼ πρὸς ὑμᾶς λέγων “δότε σημεῖον ἢ τέρας”, λάβε τὴν ῥάβδον σου καὶ ῥῖψον ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἔσται δράκων’ (Exod. 7, 8. 9). καὶ οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλ' ἔτι τέρας ἄλλο φοβερώτερον ἡ τοῦ παντὸς Αἰγυπτίου ὕδατος εἰς λύθρον μεταβολὴ (Exod. 7, 20) καὶ τῶν βατράχων τὸ πλῆθος (Exod. 8, 9) καὶ οἱ λεγόμενοι σκνῖπες καὶ οἱ μύωπες, οὓς αὐτοὶ καλοῦσι κυνομυίας (Exod. 8, 17. 18), καὶ ἡ τῶν κτηνῶν φθορὰ (Exod. 9, 3. 6) καὶ ὁ κονιορτὸς ὁ ἑλκώδης, φλυκταῖναι καὶ ἀκρίδες· ταῦτα πάντα τέρατα ἂν δικαίως λέγοιντο. σημεῖα δὲ τὰ ἐξ ὑπερτέρων φαινόμενα, οἷον ἐκεῖνο ὃ ἐπὶ τῆς αὐτῆς φέρεται γραφῆς· ‘καὶ ἔβρεξε κύριος τὴν χάλαζαν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν Αἰγύπτου· ἦν δὴ ἡ χάλαζα καὶ τὸ πῦρ φλογίζον ἐν τῇ χαλάζῃ’ (Exod. 9, 23. 24), καὶ πάλιν· ‘ἐξέτεινε δὲ Μωϋσῆς τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τὸν οὐρανὸν καὶ ἐγένετο σκότος, γνόφος καὶ θύελλα ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν Αἰγύπτου’ (Exod. 10, 22).

Τοιοῦτος τοίνυν Ἑβραίοις ὁ περὶ σημείων λόγος· ἐξ ὧν, οἶμαι, καὶ τἆλλα τῶν ἐθνῶν διοσημείας ταῦτα καλεῖν ἔγνω τὰ σήματα· Ζεὺς γὰρ ὁ ἀὴρ κατὰ τοὺς φυσικοὺς λέγεται, ὅτι ζωοποιός ἐστιν· ὥστε διοσημεία τὸ τοῦ ἀέρος σημεῖον, ὥσπερ εὔδιον τὸ πρᾶον καὶ γαληνὸν τοῦ ἀέρος καλεῖται σχῆμα. οὐ χρὴ οὖν πρὸς τὰ ὀνόματα ταραττομένους τοὺς ἁπλουστέρους ἀποπηδᾶν τοῦ μαθεῖν· ‘δώσω’, γάρ φησι, ‘σημεῖα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω καὶ τέρατα ἐπὶ τῆς γῆς κάτω· αἷμα καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ· ὁ Ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς

20 διοσημίας libri || 22 διοσημεία Paris., διοσημία Barber. || 23 ὥσπερ corr. Schow pro ὅπερ || 25 τοὺς ἁπλουστέρους om. Paris.

σκότος καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα (Joel 3, 3. 4. Act. ap. II 19. 20).'

Nonnulla interciderunt, quibus Lydus exposuit sua quidem aetate vulgo plane reici omnem hanc de ostentis doctrinam, sed non recte; talibus enim signis revera portendi aliquid. quod cum valeat in *τέρατα* tum quam maxime in *σημεῖα*. atque apud veteres Graecos et Italos fuisse haud paucos, qui ex ostentis certam quandam coniecturam de rebus futuris fieri posse non solum ipsi crediderint sed permultis libris hanc vaticinandi artem explanaverint. Ad huius disputationis particulam eam, qua *τέρατα* tractabantur, fortasse spectavit Theophylactus Simocatta hist. eccl. Reg. p. 186 B his verbis: *περὶ τῶν ἀνθρωπομόρφων καὶ Νειλώων ζώων καὶ τοῖς πάλαι ἱστόρηται. τίνος δὲ σημαντικὸν ἡ τούτων ἐνδημία καθέστηκεν εἰπεῖν ἐθάρρησεν ὁ Λυδὸς κτλ.* In Caseolino haec omnia interierunt (fortasse totum unum folium explentia) praeter clausulam ultimi enuntiati.

Bekkerianae p. 273 Ed. Hasiana

. . . . *τουτὶ πράττειν ἐπαγγειλάμενοι. τῆς* p. 2 A

μὲν [οὖν τῶν πο]λλῶν δόξης κἀγὼ πρῴην ἐτύγχανον ὤν, καὶ γράμματα μό[να τὰ περὶ τού]των γεγραμμένα τοῖς ἀρχαίοις ἐνόμιζον. ἐπειδὴ [δὲ ἡ πεῖρα τ]ὴν περὶ αὐτῶν ἀλήθειαν ἔδειξε καὶ ἡ γενομένη τοῦ [κομήτου π]ρῴην ἐπιτολὴ (ἱππέως δὲ ἄρα ἦν τὸ λεγόμενον σχῆ[μα) καὶ ἡ δι]ὰ ταύτην συμβᾶσα τῶν κακοδαιμόνων Περσῶν ἔ[φοδος, μέ]χρι μὲν τῶν 'Ορόντου γενομένη μερῶν (a. 540 p. Chr.), *συντομωτάτην [δὲ τὴν ὑπ]ο-* B

inde a 20 incipit *C* ‖ 25 *ἱππέως* scripsi pro *ἱππεὺς* | *λεγόμενον* pro *γενόμενον* coni. H.

στροφὴν ὡς οἷόν τε λαβοῦσα (ἐδήλου γὰρ δὴ καὶ τὴν τοῦ κρα[ταιοτάτου βασι]λέως νίκην), ὑπ' αὐτῶν λοιπὸν τῶν πραγμάτων καὶ τῆς [ἐξ αὐτῶν] μαρτυρίας γράφειν περὶ τῶν τοιούτων προήχθην, ἅμα μὲν πρὸς τῆς 4A ἐμῆς ἔσεσθαι μνήμης τὸ πρᾶγμα νομίζων, ἅμα δὲ ἄτοπον καὶ φθόνου γέμον ἡγούμενος εἶναι τὸ πόνους τοσούτους τοῖς ἀρχαίοις καταβεβλημένους εἰς τοὺς περὶ τούτων λόγους ἄχρι παντὸς μεῖναι λανθάνοντας.

2. Ἁρμόδιον δὲ εἶναι νομίζω τῷ περὶ τῶν τοιούτων γράφειν ἐθέλοντι, πόθεν τε ἡ τῶν τοιούτων κατάληψις ἤρξ[ατο, λέγ]ειν, καὶ ὅθεν ἔσχε τὰς ἀφορμάς, καὶ ὅπως ἐπὶ τοσοῦτον προ[ῆλθεν], ὡς καὶ αὐτούς, εἰ B θέμις εἰπεῖν, *Αἰγυπτίους* ὑπερβαλεῖν. τούτων [γὰρ δή, μετὰ] *Ζωροάστρην* τὸν πολύν, *Πετόσιρις* τοῖς εἰδικοῖς τὰ [ἐν γένει διαπλέ]ξας πολλὰ μὲν κατ' αὐτὸν παραδοῦναι βιάζεται, οὐ πᾶ[σι δὲ παρα]δίδωσι ταῦτα, 6A μόνοις δὲ τοῖς καθ' αὐτόν, μᾶλλον δὲ ὅσοι καὶ [αὐτῶν] πρὸς στοχασμοὺς ἐπιτηδειότεροι. *Ἀντίγονος* δὲ μετ' ἐκεῖνον δι[έκριν]ε μὲν καὶ διήρθρωσε τὴν παράδοσιν, πρὸς δὲ τὸ πυκνὸν [τῶν ἐν τῇ ἀστρ]ονομίᾳ γραμμῶν ἀποκλίνας ἀμύθητον ὄχλον [καὶ ἀσαφείας πάσης ἀ]νάμεστον τῇ γραφῇ συγκατέθετο. τὰ γὰρ *Ἀριστοτέλει* εἰρημένα γνωριμώτατα. *Ἡλιόδωρος* δὲ καὶ *Ἀσκλατίων*, ἔτι καὶ *Ὠδαψὸς* ὁ Θηβ[αῖος καὶ ὁ Αἰγιεὺς] *Πολλῆς* καὶ ὁ θειότατος πρὸ αὐτῶν *Πτο-* B *λεμαῖος*, οὐ μέχρι παντὸς ἴσχ[υσ]αν τὴν παλαιὰν ἀσάφειαν τοῦ πράγματος ἐκβαλεῖν, καίτοι γε σφόδρα

15 ἰδικοῖς *C* || **24** pro Asclatione dubitanter H. proponit Ascletarionem, quode cf. Sueton. Domitian. c. 15 | Ὠδαψὸς scripsi pro Δαψὸς ex Hephaestione, qui semper (i. e. quater) hanc nominis formam exhibet || **24. 25** καὶ ὁ Αἰγιεὺς] supplevi e Suida et Eudocia v.

καὶ τοῦτο ποιῆσαι σπεύσαντες. ἐπειδὴ δὲ ἡμῖν, τοὺς ἐξ Ἰταλίας φημί, Τάγης ἀρχηγὸς τοῦ πράγματος γέγονεν, ἀκόλουθον τοῖς αὐτοῦ ῥήμασι χρήσασθα[ι, μ]ᾶλλον 8 A δὲ τῇ τούτων ἐννοίᾳ· τοῖς γὰρ ἀρχαιοτέροις ὀνόμασιν ἐκεῖνα συγκείμενα δυσπαρακολούθητά πώς ἐστι καὶ οὐ σφόδρα σαφῆ. [χρησόμεθα δὲ καὶ τοῖς] λοιποῖς, Τάρχοντί τε τῷ θυοσκόπῳ καὶ Ταρκύτῳ τῷ [τελεστῇ καὶ Κα]πίτωνι ἱερεῖ, ὥστε ἐκ τῶν πᾶσι τούτοις εἰρημέ[νων γλαφυράν] τινα διαπλέξαι τοῦ πράγματος ἁρμονίαν. δεῖ [τοίνυν ἀφη]γήσασθαι πρῶτον τίς τε οὗτος ὁ Τάγης καὶ τίνες οἱ λοιπ[οί, καὶ B ὅπως] γράμμασιν ἐνεπιστεύθη παρὰ τὸ κρατοῦν ἐν τοῖς ἱερ[οῖς τὰ τοιαῦ]τα.

3. Τάρχων, ταύτῃ ἔχων τὴν προσηγορίαν, ἀνὴρ γ[έγονε μὲν] θυοσκόπος, ὡς αὐτὸς ἐπὶ τῆς γραφῆς 10 A εἰσενήνεκται, εἷς [τῶν ὑπὸ] Τυρρηνοῦ τοῦ Λυδοῦ διδαχθέντων. καὶ γὰρ δὴ τοῖς Θούσκ[ων γράμμα]σι ταῦτα δηλοῦται, οὔπω τηνικαῦτα τοῖς τόποις ἐκείνοις Εὐάνδρου τοῦ Ἀρκάδος ἐπιφανέντος. ἦν δὲ ἀλλοῖός τις ὁ τῶν γραμμάτων τύπος, καὶ οὐδὲ ὅλως καθημαξευμένος ἡμῖν· ἢ γὰρ ἂν τῶν ἀπορρήτων τε καὶ ἀναγκαιοτέρων οὐδὲν ἔμεινεν ἄχρι τοῦ παρόντος λανθάνον. φησὶ τοίνυν ὁ Τάρχων ἐπὶ τοῦ συγγράμματος, ὅπερ εἶναί τινες Τάγητος ὑποπτεύουσιν, ἐπειδήπερ ἐκεῖ B κατά τινα διαλογικὴν ὁμιλίαν ἐρωτᾷ μὲν δῆθεν ὁ Τάρχων, ἀποκρίνεται δὲ ὁ Τάγης ὡς προσκαρτερῶν ἑκάστοτε τοῖς ἱεροῖς, ὡς [τυχὸν] συμβέβηκεν αὐτῷ κατά τινα χρόνον ἀροτριῶντι θαυμάσιόν τι, οἷον οὐδὲ

7. 8 *Ταρκυτίῳ τῷ Θύσκῳ* coni. Müller, Etrusc. II p. 36 n. 66; sed cf. M. Haupt, Opusc. II p. 153 sq. ‖ 14 *ταύτης* (ς man. prima expuncta) *C* | 20. 21 *κατημαξευμένος C*

ἀκήκοέ τις ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ γενόμενον· ἀνεδόθη γὰρ ⟨ἐκ⟩ τοῦ αὔλακος παιδίον, ἄρτι μὲν τεχθῆναι δοκοῦν, ὀδόντων δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἡλικίᾳ C γνωρισμάτων ἀπροσδεές. ἦν δὲ ἄρα τὸ παιδίον ὁ Τάγης, ὃν δὴ καὶ χθόνιον Ἑ[ρμῆν] εἶναι τοῖς Ἕλλησιν ἔδοξεν, ὥς που καὶ Πρόκλος φησὶν ὁ διάδοχος. 12A τοῦτο δὲ ἀλληγορικῶς παρὰ τὸν ἱερατικὸν παρακεκάλυπται νόμον, ἐπεὶ οὐ προφανῶς ὁ περὶ θειοτέρων πραγμάτων λόγος διὰ τοὺς ἀνιέρους, ἀλλὰ νῦν μὲν μυθικῶς νῦν δὲ παραβολικῶς παραδέδοται· ἀντὶ γὰρ τοῦ εἰπεῖν ψυχὴν τελειοτάτην καὶ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν ἀπροσδεῆ ἐπὶ τὴν ὕλην ἐλθεῖν, βρέφος ἀρτιγενὲς ἐκ τοῦ αὔλακος ἀναδοθῆναί φησι. Τάρχων δὲ ὁ B πρεσβύτερος (γέγονε γὰρ δὴ καὶ νεώτερος, ἐπὶ τῶν Αἰνείου στρατευσάμενος χρόνων) τὸ παιδίον ἀναλαβὼν καὶ τοῖς ἱεροῖς ἐναποθέμενος τόποις ἠξίου τι παρ' [αὐτοῦ] τῶν ἀπορρήτων μαθεῖν. τοῦ δὲ αἰτουμένου τυχὼν βι[βλίον] ἐκ τῶν εἰρημένων συνέγραψεν, ἐν ᾧ πυνθάνεται μὲν ὁ Τάρχων τῇ τῶν Ἰταλῶν ταύτῃ τῇ συνήθει φωνῇ, ἀποκρίνεται δὲ ὁ Τάγης γράμμασιν ἀρχαίοις τε καὶ οὐ σφόδρα γνωρίμοις ἡμῖν γε ἐμμένων τῶν ἀποκρίσεων. πλὴν ἀλλ' ὅσον μοι γέγονε δυνατόν, ἔκ τε τῶν Θούσκων ἔκ τε τῶν ἄλλων ὅσοι τούτους C ἡρμήνευσαν, Καπίτωνός τέ φημι καὶ Φοντηίου, καὶ Ἀπουληίου Βικελλίου τε καὶ Λαβεῶνος καὶ Φιγούλου, Πλινίου τε τοῦ φυσικοῦ, πειράσομαι ταῦτα πρὸς ὑμᾶς διελθεῖν.

1 ἀναδοθῆναι coni. H. || 2 ἐκ addidi coll. 13 | τετεχθῆναι *C* || 23 Θούσκων scripsi pro πεύσεων: cf. proleg. || 24 Φοντηίου corr. Schmitz mus. Rhen. XI p. 299 pro Φωντηίου || 25 βεκελλίου *C*; de Vicellio cf. proleg.

4. *Σπουδὴ δὲ ἡμῖν ἐστιν εἰπεῖν περί τε ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν ἐπισκιασμάτων* (οὕτω γὰρ τὰς ἐκλειπτικὰς τῶν φώτων ὀλισθήσεις ἐκεῖνοι καλοῦσι), κομητῶν τε καὶ τῆς κατ' αὐτοὺς διαφορᾶς, αὐλακισμῶν τε καὶ διαττόντων, ἀστραπῶν τε καὶ βροντῶν καὶ κεραυνῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀερίων τερατισμῶν, καὶ τὸ δὴ πέρας περὶ σεισμῶν καὶ ἐμπρησμῶν καὶ τῆς ἐκ τούτων μαντείας, οὐχ ὥστε τὰς φυσικὰς αἰτίας ἢ τὰ περὶ τούτων 14A εἰπεῖν θεωρήματα (φιλοσόφοις γὰρ δὴ τὰ περὶ τούτων ἀνείσθω), ἀλλ' εἴ πως οἷόν τέ ἐστιν ἐκ τούτων δὴ τῶν διοσημειῶν τὴν τῶν ἐσομένων ἴσως προμανθάνειν ἀπόβασιν. ἔστι γὰρ ἐκ τῆς πολυμαθεστάτης ἱστορίας λαβεῖν ὡς ἥλιοί τε πλείους κατὰ ταὐτὸν καὶ σελῆναι πεφήνασι, γινομένου ἐξ ἀνακλάσεως τούτου. τοιγαροῦν οὐχ ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἢ τὴν σελήνην, ἀλλ' ἐκ πλαγίου τὴν λεγομένην ἀντιδίσκωσιν B θεωρεῖσθαι συμβαίνει, ἢ ἀνισχόντων αὐτῶν ἢ δυομένων. βασιλέων δὲ τοῦτο δυνατῶν κατ' ἀλλήλων ἐπαναστάσεις σημαίνει, ὡς ἐκ τῆς Καμβύσου κατ' Αἰγυπτίων ἐφόδου λαβεῖν ἔστι, καὶ ἐπὶ τῇ Νέρωνος καταστροφῇ, καθ' ἣν ἐπὶ μὲν τῆς Ἰουδαίας διάγων

5 *διαταττόντων* C ‖ 8 *καὶ ἐμπρησμῶν* hic tolerari nequit; fort. post *διαττόντων* (5) transponendum (coll. p. 84, 11); nisi praestat corrigere in *καὶ ἐπισημασιῶν* et ad Clodii calendarium referre, quod in hac dispositione generali commemorari fortasse non plane necessarium, tamen idoneum fuit ‖ **11** *εἴ πως* pro *ὅπως* corr. H. ‖ **18—20** Plin. nat. hist. II 99 *soles plures simul cernuntur, nec supra ipsum nec infra, sed ex obliquo, numquam iuxta nec contra terram nec noctu, sed aut oriente aut occidente.* ‖ **15** ante *ἐξ* ex dittogr. add. *μὲν* C quod del. Hercher ‖ **18** *ἢ* ante *ἀνισχόντων* scripsi pro *καὶ*, quod delere voluit Hercher ‖ **21** post *ἔστι* del. *δυνατὸν* Hercher

Οὐεσπασιανὸς πρὸς τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνεφέρετο, κατὰ δὲ τὴν ἑσπέραν Βιτέλλιος, Γάλβας τε καὶ Ὄθων C *ἑτέρωθεν ἀντανίσταντο. Ἀπουλήιος δὲ περὶ τῶν τοιούτων γράφων καὶ ὑπὸ Κλαυδίῳ Καίσαρι τρεῖς ἡλίους ὀφθῆναί φησιν, ὁμοίως δὲ καὶ σελήνας τοσαύτας ἐπὶ Γαίου Ἀννίου καὶ ⟨Γναίου⟩ Δομιτίου τῶν ὑπάτων· ⟨ᾧ⟩ ἄντικρυς ἐδηλοῦτο Γάλλους τε καὶ Σαυρομάτας* 271 *τὰ Ῥωμαίων δῃώσειν· τὸ δὲ* .... *θῆναι.*

Πολλά[κις δὲ καὶ διάπυρος ἀστήρ, ἀσπίδος ἀπομιμούμενος τύ]πον, ἐκ τῆς ἑῴας ἐ[πὶ τὴν] δύσιν σπ[ινθῆρας ἐκπέμπων διατρέ]χει, [τῶν] Παρθυαίων 16 A *[ἔφο]δον μαν[τευόμενος. καὶ τὰ μὲν ἐκ τῶν πρω]τοτύπων κέντ[ρων], ἀνατο[λὴν λέγω καὶ δύσιν, οὕτως ἔστ]ι λαβεῖν· ἀπὸ δέ γε ἄρ[κτου] καὶ μεσημ[βρίας, οὐκέτι ἐφόδους βαρβ]αρικὰς ταῦ[τα ἡμῖν προ]δηλοῖ, ἀ[λλὰ βιαιοτέρας ἀνέμων ἐκρήξεις. καὶ εἰ μὲν] ἐξ ἄρκτου διάτ[των ἐκτρέχει αὔλακάς τε πυ]ρὸς ἐπὶ τὸν* B *ἀέρα ποιεῖ, β[ρον]τώδεις λέ[γει διοσημείας, συστρο]φὴν ἀέρος καὶ [βορρᾶν] βιαιότερον ἀν[αστήσεσθαι, ἐκ δὲ τοῦ ἐνα]ντίου φερόμενος νότον ἐπάγει. τῶ[ν] γὰρ πν[ευμ]άτων ἐκ τῶν ἐσχάτων τοῦ κόσμου μερῶν διανισταμένων καὶ τὸν ἀέρα πρῶτον πληττόντων, μηδενὸς*

2 *τε* pro *δὲ* corr. H. || **3** *ἀνθανίσταντο C* | cf. Plin. II 99 *et nostra aetas vidit (tres soles) divo Claudio principe.* || **5** *φασίν C* || **6** cf. Plin. II 99 *lunae quoque trinae, ut Cn. Domitio C. Fannio (Gai filio annio* libri) *consulibus apparuere.* vid. Iul. Obsequens 32 p. 122 Iahn. | *Γαίου Ἀννίου καὶ Γναίου Δομιτίου* temptavi Plinii librorum scriptura nixus pro *Γναίου καὶ Δομιτίου* || **7** *ᾧ* add. Bekker; *δι' ὧν* addere voluit H. || **10** sq. cf Plin. II 100 *clipeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcucurrit L. Valerio C. Mario consulibus.* || **17** cf. Plin. l. s. || **19** *λέγει* suppl. Hercher || **20** *ἀναστήσεσθαι* suppl. Hercher

σώματος ἀντιτυποῦντος, εἰκός ἐστι τοὺς ἐκ τῶν 18 A
ἀστέρων τούτων ἀφορίζεσθαι σπινθῆρας.

5. Ὁμοίως ἔστιν ἑ τ έ ρ ο υ ς ἀ σ τ έ ρ α ς εὑρεῖν ποτὲ
μὲν ἐν γῇ, ποτὲ δὲ ἐν θαλάττῃ τὰς ἰδίας ἐνεργείας
δεικνύντας· ἐπί τε γὰρ στρατιωτικῶν ἀκοντίων πολ-
λάκις ὤφθησαν ἐφιζάνοντες ἐπί τε τῶν ἱστῶν τῶν
νεῶν, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ μέρεσι, λιγυρόν τι σύριγμα
προσηχοῦντες καὶ ὀρνέων δίκην εἰς τόπον ἐκ τόπου
τῆς νεὼς μεθιστάμενοι, ὡς ἂν καταδύσωσι ταύτην. B
ὅθεν καὶ τοῖς ξηροτέροις τῆς νεὼς ἐμπίπτουσι μέρε-
σιν, ἐξ ὧν συντομωτέραν εἰκὸς γενέσθαι τὴν ἐκπύ-
79 ρωσιν. τὸ δὲ τοιοῦτον σχῆμα ἤτοι κατάστημα οἱ τὴν
θάλατταν πλέοντες Ἑ λ έ ν η ν καλοῦσιν. ἀλλὰ κἀνταῦθα
τὰ ἐξ αὐτῆς ἡ πρόνοια δείκνυσι· δύο γὰρ ἀστέρες
εὐθὺς κατασκήπτουσι τῆς τοιαύτης φορᾶς, οὓς Κά-
σ τ ο ρ α καὶ Π ο λ υ δ ε ύ κ η ν καλοῦσιν, οἳ παραχρῆμα
πρὸς φυγὴν τὴν λεγομένην ⟨Ἑλένην⟩ ἐλαύνουσι.

Τὰ δὲ τῶν ἱ σ τ ο ρ ι ῶ ν μὴ καὶ περιττὸν ἐν ὑμῖν ᾖ
λέγειν, ὡς ἐπὶ κεφαλῆς πολλάκις ἀ ν θ ρ ώ π ω ν διο- C
σημεῖαι γεγόνασιν, ἐπί τε τῆς Ἀσκανίου καὶ Σερβίου

3—12 cf. Plin. II 101 *existunt stellae et in mari terrisque. vidi nocturnis militum vigiliis inhaerere pilis pro vallo fulgorem effigie eas* (sic Detlefsen pro *ea*), *et antemnis navigantium aliisque navium partibus ceu vocali quodam sono insistunt ut volucres sedem ex sede mutantes, graves, cum solitariae venere, mergentesque navigia, et si in carinae ima deciderint exurentes.* ‖ **6** ἱστῶν scripsi pro ἱστίων ‖ **14—17** cf. Plin. l. s. *geminae autem salutares et prosperi cursus praenuntiae, quarum adventu fugari diram illam ac minacem appellatamque Helenam ferunt et ob id Polluci et Castori id numen adsignant.* ‖ **17** Ἑλένην coniect. add. H.: cf. Welcker, *gr. Götterl.* II p. 431 adn. 2 ‖ **18** ἐν ὑμῖν corr. Bekker pro ἐν ἡμῖν coll. p. 8, 27 πρὸς ὑμᾶς; ἂν ἡμῖν coni. H. ‖ **19** cf. Plin. l. s. *hominum quoque capita vespertinis horis magno praesagio circumfulgent.* cf. etiam II 241

Τύλλου τοῦ ῥηγὸς καὶ Κωνσταντίνου τοῦ τὴν μεγάλην ταύτην συστησαμένου πόλιν. οἷς ἅπασι τὸ μὲν τῆς βασιλείας ἐντεῦθεν κατεμηνύετο κράτος, οὐ μὴν
20A εἰρηνικὸν οὐδὲ ἥσυχον, ἀλλὰ μυρίων γέ[μον κα]κῶν αὐτοῖς τε ἐκείνοις καὶ [τοῖς] ὑπ' αὐτ[οὺς ἐσομένο]ις, μᾶλλον [δὲ καὶ] πλέον ἐκείνοις, ὅ[σῳ καὶ ἐλάττοσι] τύχαις πα[ρὰ το]ὺς βα[σιλεύ]οντας τὸ ὑπή[κοον] χ[ρῆ]ται. Ἀσ]κάνιος μ[ὲν] γὰρ ἐν [Ἄλβῃ τ]ὴν μητρ[υιὰν] .... σεν, ἡ δὲ ἐκαινοτό[μησε περὶ τ]ὸ Τρωικὸν .... καὶ τὴν προσηγο[ρίαν] δὲ [ὁ..... λ..... Τ]ύλλος οὕτω πολέμων τὴν [πόλιν] ἐπλ[ήρωσεν ὥ]στε μὴ [δυ]νηθῆναι τῆς ὑπὸ Νουμᾶ κα[τα]σταθείσης
B εἰρ[ήν]ης Ῥωμαίους ἀπολ[αῦσαι]. περὶ δὲ Κων[στ]αντίνου μακρηγορεῖν οὐκ ἀναγκαῖ[ον], ἐ[ν βιβ]λ[ίοις] τὴν μνήμην [τ]ῶν περὶ αὐτὸν συμβ[εβηκότων] ἐχόντ[ων ὑμ]ῶν.

22A 6. Πολλάκις δὲ καὶ [σ]πινθὴρ βραχὺς ἐκ μετεώ[ρων κα]ταφ[έρεσθα]ι δόξας ἐπὶ τὴν γῆν, εἶτα ἐξ ἐπιδόσεως εἰ[ς κύκ]λ[ον τι]νὰ σελήνης ὅμοιον [ὤφθη] δισκωθείς. τοῦτο, ὅπερ ἔναγχος γέγονεν, οὐ μετρίων προδοσιῶν τε καὶ τυχῶν παρεδήλωσε κίνδυνον.

Καὶ ὄμβρων δέ τινας τεραστίους διοσημείας

9 ἡ δὲ ἐκαινοτόμησε περὶ τὸ Τρωικὸν] sic dubitanter supplevi; de sententia dubitari nequit, cf. Serv. in Aen. VI 760; adminiculo est etiam id quod litteris uncialibus minutis in margine cod. *C* prima manu scriptum est: *ΑΣΚΑΝΙΟΣ ΤΗΙ ΜΗΤΡΥΙΑΙ ΣΥΝΗΛΘΕΝ ΕΙΣ ΚΟΙΝΩΝΙΑΝ*, ubi tamen *ΟΥ* addas ante *ΣΥΝΗΛΘΕΝ* ‖ **10** προσηγορίαν τῆς πόλεως. ὁ δέ γε coni. H. ‖ **16** ὑμῶν coni. Bekker pro ἡμῶν ‖ **17—20** cf. Plin. II 100 *scintillam e stella cadere et augeri terrae adpropinquantem ac postquam lunae magnitudine facta sit, inluxisse ceu nubilo die, dein cum in caelum se reciperet, lampadem factam semel umquam proditur.* ‖ **18** τῆς γῆς *C*: corr. Hercher

ἐπὶ τῆς ἱστορίας εὑρίσκομεν. ἐπὶ μὲν γὰρ Ἀκελίου Μάρκου καὶ Πορκίου τῶν ὑπάτων γάλα πρῶτον, [εἶ]τα δὲ καὶ αἷμα κατενεχθῆναί φασιν. καὶ κρέα δὲ παραδόξως ἀνθ' ὑετοῦ κατὰ τὴν Βολουμνίου κατέπεσεν B ὑπατείαν, καὶ ἔμεινεν [οὕ]τως· οὐ γὰρ ἂν θηρίον ἢ πτηνὸν ἤ τι τῶν ἐμψύχων λιμῶξαν καθάψαιτο ἐκείνου τοῦ σώματος. κατερρύη δὲ καὶ σίδηρος ἐπὶ Λευκανίας ἀνθ' ὑετοῦ, Κράσσου τὴν ἐπὶ Πέρσας [ὁρμῶντος ἐπιστρατεί]αν. Μαρκέλλου δὲ τὴν ὕπατον ἀρχὴν διανύοντος ἔριον κατενεχθῆναί φασι περὶ Κάψαν τὸ φρούριον ἐπὶ Μίλωνος· ὃ τοῦ τὴν χώραν ἐπιτροπεύοντος ἀναίρεσιν ἐμαντεύετο. κατηνέχθησαν δὲ πλίνθοι πολλάκις ὀπταὶ καὶ κόνις, ὥσπερ ἐπὶ Ζήνω- C νος τοῦ καθ' ἡμᾶς.

Ὅπλων δὲ καὶ σαλπίγγων ἀπ' οὐρανοῦ γενέσθαι διαφόρως ἔδοξεν ἦχος, ὅπερ λέγεται συμβῆναι κατὰ τὴν Κίμβρων ἐπιδρομήν, καὶ ἡνίκα τοῖς ἐμφυλίοις ἐκείνοις πάθεσι τὸ Ῥωμαϊκὸν διεταράττετο.

Ἔστι δὲ καὶ ὅτε κατ' αὐτὸν τὸν οὐρανὸν ἐκπύρωσις ἔδοξε γίνεσθαι, καθάπερ καθ' ἡμᾶς, Ἀναστασίου ἓξ πρόσθεν ἐνιαυτοῖς [τῆς τελευτ]ῆς (a. 513), ἡνίκα τοιαύτη μὲν ἡλίου γέγονεν ἔκλειψις ὡς ἐ[ν

1—7 cf. Plin. II 147 *relatum in monumenta est lacte et sanguine pluisse M'. Acilio C. Porcio coss. et saepe alias, sicut carne P. Volumnio Servio Sulpicio coss. exque ea non putruisse quod non diripuissent aves.* ‖ **7—9** cf. Plin. l. s. *item ferro in Lucanis anno antequam M. Crassus a Parthis interemptus est.* ‖ **9—12** cf. Plin. l. s. *L. Paullo C. Marcello coss. lana pluit circa castellum Capsanum* (sic Riccardian. man. sec.), *iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est.* ‖ **12** cf. Plin. l. s. *eodem (Milone) causam dicente lateribus coctis pluisse in acta eius anni relatum est.* ‖ **15—18** cf. Plin. II 148 *armorum crepitus et tubas sonitus auditos e caelo Cimbricis bellis accepimus crebroque et prius et postea.* ‖ **15** δὲ corr. Hercher pro τε

ἡμέρᾳ μέσῃ καὶ τοὺς ἀλαμπεστά]τους τῶν ἀστέρων
24A διαφανῆναι, τὰ δὲ ἀεροπόρα καθάπερ ἐν νυκτὶ μέσῃ
κα[ταπεσεῖν]. εἶτα τῆς ἐπιούσης νυκτὸς πῦρ ἀνεφλέχθη
τοσοῦτον ὥστε σπινθήρων τὸν ἀέρα γενέσθαι μεστόν.
ἐδηλοῦτο δὲ ἄρα ὁ μὲν δῆμος ἐπαναστησόμενος τῷ
βασιλεύοντι, ἡ δὲ πρὸς τῇ Μυσίᾳ στρατιὰ ἔργον τῆς
Βιταλιανοῦ γενησομένη χειρός (a. 514)· αὐτὸς δὲ μέχρι
τῶν τῆς πόλεως τειχῶν ἐλάσας παρὰ μικρὸν ἦλθε τῶν
πραγμάτων κρατῆσαι. καὶ τὸ δὴ πέρας, οὕτως ἀτιμο- 281
B τάτης βαρβάρων γενομένης ἐφόδου, μικροῦ προήκατο
καὶ τὴν βασιλείαν ἑκὼν Ἀναστάσιος, καὶ φαῦλα δὲ
συνέβη πάντα, ὅσα ἐν εἰδόσι λέγειν ἀδολεσχίας ἐστίν.

7. Καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν εἰ προθεωροῦσιν ἄνθρωποι τὰ ἐσόμενα, τῆς φύσεως αὐτῆς προδεικνυούσης τὰ πράγματα. ὥς που καὶ Ἀναξαγόρας ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ὀγδόης ὀλυμπιάδος λίθον μέγιστον ἐκ τοῦ ἡλίου ἐκπεσεῖν ἐμαντεύσατο, ὅπερ καὶ συμβέβηκεν
C ὕστερον ἐπὶ Θρ[ᾴκης]· καὶ μέχρι νῦν ἔστιν ὁ λίθος,
καὶ ἐξ αὐτῆς εὐθὺς τῆς θέας περιπεφλέχθαι δοκῶν. ταὐτὸ δὲ τοῦτο κατά τε Ἄβυδον καὶ Κύζικον συμβῆναί φησιν Ἀπουλήιος· ὅθεν ἔτι καὶ νῦν λίθος ἐστὶ παρ' αὐτοῖς πυρώδης μὲν τὸ χρῶμα, σιδήρῳ δὲ ἅπας κατασεσημασμένος· παραδεδόσθαι γὰρ λόγος Κυ-

5—12 cf. Io. Antioch. frg. 214e; Marcellin. chron. ad a. 514. 515 ‖ 15—19 cf. Plin. II 149 *celebrant Graeci Anaxagoram Clazomenium Olympiadis septuagesimae octavae secundo anno praedixisse caelestium litterarum scientia quibus diebus saxum casurum esset e sole, idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos flumen, qui lapis etiamnunc ostenditur magnitudine vehis, colore adusto.* ‖ 20—22 cf. Plin. II 150 *in Abydi gymnasio ex ea causa colitur hodieque modicus quidem sed quem in media terrarum casurum idem Anaxagoras praedixisse narratur.*

ζικηνοῖς ὡς συναπολέσθαι τῷ λίθῳ τὴν πόλιν ἀνάγκη.
Ἵππαρχος δὲ ἑξακοσίοις ἔμπροσθεν ἐνιαυτοῖς ἡλιακὴν
προκατέλαβεν ἔκλειψιν. ἐπὶ δὲ τῆς φυσικῆς ἱστορίας
